GYMNASIVM LOGICVM,

Id Est,

De Vsu & Exercitatione Logicæ *Artis resolutioris &* pleniori,

LIBRI TRES.

Annis ab hinc aliquot in Academia Heidelbergensi *privatis prælectionibus traditi*

A

Bartholomæo Keckermanno
Dantiscano, S. Theologiæ Licentiato, & Gymnasij patrij Professore.

Accessit corollarij loco duplex tabula propria ad Gymnasium Logicum spectans, eadem eodem.

LONDINI,
Impensis Ioannis Bill.
cIↃ. IↃc. vi.

Beneuolo Lectori S. D.

Est vsu atq; exercitationis vis ac neceſſitas, vt non ſolùm in ſcholis politioris literaturæ ſuis laudibus eam efferri, & ad aures diſcentium aſſiduè decantari audias, ſed & in omnibus omnium artificũ officinis ſummè commendari animaduertas. Neque ſanè immeritò: Quemadmodum enim ager etiam fertiliſſimus, abſque diligente cultura & benigno calore Solis, fructus non parturit: ita diſciplinarum liberalium arua, vt vt præceptorum ſementi prægnantia, ſine exercitatione frequenti, & vſu quaſi fotu quotidiano, cultorib. ſuis parum commodi afferunt. Quod cum omnes artes communi vinculo & quaſi cognatione quadam inter ſe connexæ, teſtantur abundè, tum in iis, quas Propædeuticas & Organicas vocant, ita res plana eſt, vt qui eam in dubium vocare auſit, is omnium eruditorum calculis iam din damnatus, è ſcholis explodendus eſſe videatur. Ex harum cenſu & catalogo, cum Regina illa artium & rationis directrix LOGICA, *ſuis præceptorum radijs, quibus nebulas mentis humanæ diſcutit,* velut inter ignes Luna minores, *præclarè renidens emineat; idcirco, Praxin quoque illius, quâ præcepta artis metienda, quâ æſtimanda vnicè ſunt, præ cæteris longius atque latius ſeſe diffundere neceſſum eſt.*

Verùm enumerò, quanta eſt Logica huius exercitationis amplitudo ac dignitas, tanta in modo eam exercendi dextrè ac feliciter vndiq; circumſtat difficultas, ſiue artis ipſius rimeris naturam, ſiue artificum, qui de Praxi Logica hactenus aliquid delibarunt, præcepta ductumque ſequaris. Id, quia priori huius Tractatus libro Autor plano & perſpicuo orationis charactere diduxit, nolo hic actum agere, aut lumen Soli fœnerari. Vnum tamen, benevole Lector, tacere hâc pagellâ non poſſum, quod mihi quidem (credo & aliis candidè iudicaturis) præcipuum autori calcar & ad ſuſcipiendã & ad ingrediendam rationem huius exercitationis Logicæ extitiſſe videtur; defectũ ſcilicet, quem in materia tam vtili tamq; neceſſariâ pertractandâ, neſcio obſervatum magis an deploratum à multis ſentimus, ſuppletum certe à nemine deprehendimus, non ſine inſigni pulcherrimæ artis nevo, & detrimento eorum, qui ad altiores diſciplinas contendunt. De Glauco quodam marino ſcribit Plato, partes nobiliores corporis illius partim fractas, partim contritas fuiſſe, & ab vndis penitus diſſipatas; quarum loco alia ipſi adheſerint conchylia, alga, lapides, ex quib. natiuam & germanam ipſius formam agnoſcere vix quiſquam potuerit. Quid aliud, queſo, de Vſu Logicæ, qualis quidẽ ad hunc vſq; diem fuit, duci ſine inuidia poteſt? Eſt Logica intelligendi ars & regula, ad dirigendum intellectum nata, ad intellectum ordinata: erat igitur etiam Vſus Logicæ primarius quærendus in iis, quæ intellectum in cognitione rerum dirigerent, non præpedirent, perficerent, non abducerent. At hæc ventiquam proſtant in Exotericis authorum ſcriptis, quibus τὰ αἰσθητικὰ, ὀρεκτικὰ, Senſus & Appetitus, tanquam prora & puppis ſui inſtituti perpetuò obſervantur atq; adblandiuntur.

Et

Et tamen ex his plenum & perfectum Logicæ vſum captari, & adæquatum eius finem poſſideri, plerique hactenus ſibi perſuaſere. Videt, quàm ſæua Metamorphoſi, & forte deteriori conditione quàm Glauci illius marini, Logica intellectus magiſtra, & rationis domina, transformata ſit in miniſtram appetitus, & affectuum pediſequam. Quid? quod Exercitationis Logicæ, *quicunq; de ea hactenus ſcripſerunt, animam omnem atq; medullam poſuerunt in Geneſi tantum & Analyſi thematis ſimplicis atq; communis, deſcribentes ſc. totum artificij Logici circum, hoc tam anguſto biformis exercitij gyro: neglecta interim inæſtimabili illa Vſus Logici parte, quæ in ratione bene docendi atq; diſcendi verſatur, cum nullibi artis Logicæ vſus magis eluceat, quàm in docendo & diſcendo; vnde & ipſa Logica* τέχνη διδακτικὴ καὶ μαθητικὴ, *organum dextrè & regulatè docendi atq; diſcendi vocatur. His & aliis defectibus longè eminentiſſimis, quibus Praxis Logica nimis compendiaria hactenus laborauit, liberauit per Dei gratiam Autor; vt iam in expedienda diuerſa diuerſorum thematum tractatione, in norma accuratiori docendi, diſcendi, diſputandi, locos communes colligendi, itemque methodos ac Syſtemata diſciplinarum conſtituendi, denique in monſtranda vera, accurata, & ſolida ratione omnium Autorum ſcripta retexendi & reſoluendi, deſiderari omnino nihil poſſit, quod ad abſolutam* Vſus Logici *perfectionem pertineat.*

Cum igitur hic de Τυμνασία *Logica tractatus, annis ab hinc aliquot in florentiſſima Academia Heidelberg. multis & eruditis, iiſque maturioris iam ætatis atque iudicij ſtudioſis auditoribus, Germanis, Gallis, Vngaris, fuerit prælectus, ab iiſque ſumma animi tum voluptate, tum gratitudine exceptus, propter vtilitatem inde*

in ſtudijs mox perceptam, & deincept percipiendam; minime committendum putaui, vt hac tam neceſſaria & vtilis lucubratio diutius premeretur, ſed vnà cum alijs viris eruditioribus publicaque vtilitatis ſtudioſis dignißimis indicaui, quæ in lucem & orbem literarium prodiret.

Nametſi Autor, tum in Syſtemate ſuo Logico, *in* Præcognitis Logicis; *in* Rhetorica Eccleſiaſtica, *tum in literis ad amicos ſæpe promiſit, ſeſe hunc Tractatum recogniturum, & elimaturum ad prælum, quia tamen varijs occupationibus, meditationibus, & ſcriptis alijs ita eſt diſtractus, vt fateatur nunc vltrò, intra annos aliquot vix præſtare ſe id poſſe, quod decreuerat & promiſerat: idcirco neutiquam dubitaui, librum iſtum nunc ita, prout* HEIDELBERGAE *ex ore Authoris, αὐτὸ μαγνητικῶν ῥημάτων, exceptus eſt, edere, ne ſtudioſam iuuentutem ſua expectatio & ſpes, quâ ſcirem diu eam teneri, diutius fruſtraretur.*

Et quamuis fortè pluſculũ mihi hac in parte ſumpſiſſe, falcemque adeo in alterius ſegetem immiſiſſe alijs videbor: facit tamen Authoris ipſius tum in publicam rei literariæ vtilitatem affectus (cuius liberaliſſimam auram vel nupera illa COLLEGII LOGICI, *atq́,* ORATORII, *in* GYMNASIO DANTISCANO *inſtituti, Tabula deſignatoria ſpirat, non ſine vberrimo ſtudioſæ iuuentutis emolumento) tum amor & propenſio erga me ſingularis, vt, ſi hoc inſtitutum meum, quod quidem vnice opto & voueo, ipſi probetur, laudem: ſin minus, veniam ſaltem facti ſecure mihi pollicear. Vale. Dabam Heidelbergæ, Anno* 1605. *Idib. Iul.*

M. ADRIANVS PAVLI
DANTISCANVS.

DESIGNATIO COLLEGII LO

Praxin artis Logicæ instituti pro A

Gymnasio Dan

- In Collegio siue Palæstra Logicâ spectatur Exercitiorum Logicorum;
  - Partitio; est enim omne Exercitium Logicũ; vel
    - Tractatio siue Genesis, quæ est vel
      - Prima, quæ est explicatio propositi siue Thematis; Simplicis { Perfecti. / Imperfecti. }; Coniuncti seu quæstioni
      - Orta { Recta studiorum confirmatio: quid, quantum, / Collectio Locorum communium in { Verbis. / Rebus. }
    - Tractatorum Recognitio siue Analysis, quę; vel
      - Nuda, quæ iterum vel { Prima Thematis { Simplicis { Manifesti. / Obscuri si } / Con uncti. } / Orta, in integris tractationibus & libris au }
      - Coniuncta cum obseruatione eorum quæ in auctoribus occurrunt di
  - Ordinis seu processus; vbi spectandus huius Collegij
    - Director & Præses, cuius istæ futuræ sunt partes: vt
      - I, Certum delectum & ordinem constituat inter a
      - II, Materias Exercitiorum Logicorum suppeditet i
      - III, Vbi materiam dederit, nominet ex ordine eum
      - IV, Breuiter indicet, quomodo secundum artis regul
      - V, Censores ex auditoribus septem nominet o di
      - VI, Dum exercitium recitatur, notet defectus siue e
      - VII, Censores constitutos ordine quærat quid obser
      - VIII. Post auditam horum censuram perspicuè & fideli lectis artis logicæ regulis, vbi contra laudem
    - Palæstrita, siue is qui se exercet, à quo requiritur, vt
      - I, Præcepta artis Logicæ habea
      - II, Materiam à Præside suppedit
      - III, Tempore constituto paratus
      - IV, Consensa cathedra exercitii gium pertinent, neque de
      - V, Recitato exercitio, egressus a
      - VI, Reuocatus censuram audiat,
      - VII, Domum reuersus exercitium
    - Particeps, qui vel
      - Tacitus, cuius hæ partes, vt { I, Etiam paratus accedat, / II, Diligenter attendat ad / III, Animaduertat an exerc / IV, Suum exercitium cum i }

- In Collegio siue Palæstra Logicâ spectatur Exercitiorum Logicorum;
  - Ordinis seu processus; vbi spectandus huius Collegij
    - Palæstrita, siue is qui se exercet, à quo requiritur, vt
      - I, Præcepta artis Logicæ ha
      - II, Materiam à Præside suppe
      - III, Tempore constituto para
      - IV, Consensa cathedra exer gium pertinent, neque
      - V, Recitato exercitio, egressu
      - VI, Reuocatus censuram audi
      - VII, Domum reuersus exercitiu
    - Particeps, qui vel
      - Tacitus, cuius hæ partes, vt { I, Etiam paratus acced / II, Diligenter attendat / III, Animaduertat an ex / IV, Suum exercitium cu / V, Post ad censuras sed reuersus emende }
      - Auditor qui vel
        - Censor: Erunt autẽ censores in singulas vices septem, quorum hæ sunt Leges: { I, Qui ex ordine beat, non / II, Cum exercitiu deret, & a / III, Si quid audier / IV, Recitato exerc ercitio des peccatum, }
  - Modus quo institui possint; vbi requiritur certa cõstitutio
  - Metæ siue Temporis, quo curriculum hoc exercitiorum Logicorum debeat:
    - Inchoari; 10 Martij diebus, nempe vndecim ante Pascha currentis an
    - Continuari; ita nimirum vt: { I, Decimo quarto quoquo die à mate / II, Dies autem iste sit Mercurij, hora / instituatur Logicum, Exercitij }
    - Finiri: in singula nempe biennia circa Paschatos festum: idq; certa quadam exercitiorum in istius biennij menses distributione secundũ materiarum proportionem supra descriptam: vt nempe tribuantur;
      - Tractationi s
      - Tractatorum menses reli

LOGICÆ ET PHILOSOPHI

VT virtutis laus omnis in actione, ita Logica præceptorum vniuersum in vsu consistit. Etsi enim præceptorum Logicorum semina diuinitus insita sint mentibus hominum, & sit naturalus quædam in nobis notitia ordinis, distinctionis, & consequentiæ syllogistica, tamen ex hu n atur æ semi ibus præcepta ipsa, qualia esse debebant, efflorescere n n potuerunt, nisi vsus accederet, ex cuius observatione sucum suum & vigorem omnem ac spiritum primitus traxerunt. Ex vsu ergo nata ars est, vsu crevit, vsu maturuit, vsu vegetatur & viuit: Non secus ac corpora nostra ex ys videmus nutriri ac roborari, ex quibus nata initio sunt & constituta. Inde nimirum illa Ciceronis vox prof cta est: De oratore: Vsus frequens omnium magistrorum præcepta superat: Inde sapiens Senecæ monitum in Epistola 94. Et discas oportet, & quod didiceris agendo confirmes. Et simile item Plinij: Vsus est efficacissimus rerum omnium magister. Sed & illa grauis est sententia incerto auctore prodita: Natura inchoat artem per inclinationẽ, institutio dirigit per informationem, exercitatio perficit & absolvit per assuefactionem. Facit natura habilem, ars eruditum, vsus facilem atq; expeditum. Et considenter dixit Quintilianus, sed verè dixit quasi ex ore Ciceronis mutuata voce: Parum valet exercitatio sine arte, quam ars sine exercitatione. Finis coronat opus; Vius coronat arte. Quæ multi, sumiter accant Porta: —illis operum prudentia maior: Solus & artifices qui facit, vtilis erit. Certa hæc sunt, & talia quæ omnes vltrò agnoscant & fateantur; interim sic fieri videmus & dolemus, vt quasi istorum non meminissemus amplius, ita plerosq; præceptis artium inhærere tantum & insenescere atq; immori etiam; ad vsum & exercitationem præceptorum aegrè & velut reluctanter accedere. Nimirum sic est natura nostra, vt quæ facilia sunt, vltro consectemur, ab ijs autem quæ plusculum difficultatis habent, perinde animam sub lucam ducere, ac manum à carbone ardente. Est autem facilius præcepta artium discere: Sed eadem exercere & ex speculationum vmbris in arenam descendere, & vsu ipso atque opere ostendere, quid & quantum profecerimus, id vero difficile accidere solet horum ingeniis ac pernolestum. Eligendi & instruendæ actui præcepta videmus & audimus multos perbelle callere, at belligerare, actum instruere, manu rem feliciter gerere, & decernere præsidio, non nisi paucissimos. Idem reuera in arte Logica hoc nostro seculo contingere videas. Sunt enim vbique multi & plures omnino quam vllo fortassis alio mundi ætate, qui artis huius præcepta aude atque studiose cognoscant, auctores in hoc genere multos legant, deque rebus Logicis norint & varie & acute in omnem partem disceptare: Quod quidem vt est ingenti ssimum à condito mundo seculi iudicium, ita & admirationem suam habet, & magnam saue laudem meretur, Sed ita vt dolendum simul sit, in tanto eorum numero, qui præcepta artis constanter impalescunt, tam esse paucos, qui diuinæ artis huius formam & imaginem vsu atque exercitatione ipsa re satagant exprimere. Et sæpe id quidem mecum solco cogitare qui causæ sit, cur cum omnes concorditer fateantur, Grammatica & Rhetorica præcepta in scholis nec satis docere fideliter, nec feliciter discs, nisi ij, qui Grammaticæ operam dant, stilum sæpe formant, & sese loquendo scribendoue continuo exercent: ij etiam, qui ad Rhetoricam audiendam sunt admissi; declamationes & orationes frequenter scribant & habeant: Logica tamen ars ita hodie tractetur, vt præcepta quidem explicentur & inculcentur diligenter, & exemplis etiam illustrentur: exercitia autem Logicæ artis nec ita vt optandum est plena, nec frequentia & certo quodam ordine & successione continuata instituantur. Nam quod ad disputationes attinet, sunt quidem istæ Logicæ artis exercitia planè necessaria, & talia quæ inæstimabilem fructum in omne genus studiorum effundant, sed interim particula tantum quædam sunt vsus Logici, quæ syllogismi doctrinam pene solam complectitur: Auctorum vero Analysis, vt Epistolarum & Orationum Ciceronis, Virgilij, item Horatij, & Ouidij, quæ in scholis laudabili almorum institutio frequentatur, magna parte ad Grammaticen & Rhetoricen pertinet, nec est in ea re præcipuum vsus Logici pondus & momentum constitutum.

Quod cum ita sit, spero, fore vt omnes dextrè & candidè iudicantes agnoscant, non leui me ratione motum esse, cur sexennio ab hinc priuatis meis in Academia Heidelbergensi auditoribus præluerem Manuductionem ad vsum Logicæ, cui postea Gymnasij Logici titulum dedi, libris aliquot adornarim, & deinde non magno interuallo iterum prælegerem, quin & nunc tertio in inclyta Reipub. Dantiscanæ Gymnasio proponam. Quæ quidem de vsu artis Logicæ commentatio quod impensis meditationibus, & lucubrationibus, quam

LOGICÆ ET PHILOSOPHIÆ AVD

VT virtutis laus omnis in actione, ita Logica præceptorum vniuersum in vsu consistit. Etsi enim præceptorum Logicorum semina diuinitus insita sint mentibus hominum, & sit naturalus quædam in nobis notitia ordinis, distinctionis, & consequentiæ syllogistica, tamen ex hu n atur æ semi ibus præcepta ipsa, qualia esse debebant, efflorescere n n potuerunt, nisi vsus accederet, ex cuius observatione sucum suum & vigorem omnem ac spiritum primitus traxerunt. Ex vsu ergo nata ars est, vsu crevit, vsu maturuit, vsu vegetatur & viuit: Non secus ac corpora nostra ex ys videmus nutriri ac roborari, ex quibus nata initio sunt & constituta. Inde nimirum illa Ciceronis vox prof cta est: De oratore: Vsus frequens omnium magistrorum præcepta superat: Inde sapiens Senecæ monitum in Epistola 94. Et discas oportet, & quod didiceris agendo confirmes. Et simile item Plinij: Vsus est efficacissimus rerum omnium magister. Sed & illa grauis est sententia incerto auctore prodita: Natura inchoat artem per inclinationẽ, institutio dirigit per informationem, exercitatio perficit & absolvit per assuefactionem. Facit natura habilem, ars eruditum, vsus facilem atq; expeditum. Et considenter dixit Quintilianus, sed verè dixit quasi ex ore Ciceronis mutuata voce: Parum valet exercitatio sine arte, quam ars sine exercitatione. Finis coronat opus; Vius coronat arte. Quæ multi, sumiter accant Porta: —illis operum prudentia maior: Solus & artifices qui facit, vtilis erit. Certa hæc sunt, & talia quæ omnes vltrò agnoscant & fateantur; interim sic fieri videmus & dolemus, vt quasi istorum non meminissemus amplius, ita plerosq; præceptis artium inhærere tantum & insenescere atq; immori etiam; ad vsum & exercitationem præceptorum aegrè & velut reluctanter accedere. Nimirum sic est natura nostra, vt quæ facilia sunt, vltro consectemur, ab ijs autem quæ plusculum difficultatis habent, perinde animam sub lucam ducere, ac manum à carbone ardente. Est autem facilius præcepta artium discere: Sed eadem exercere & ex speculationum vmbris in arenam descendere, & vsu ipso atque opere ostendere, quid & quantum profecerimus, id vero difficile accidere solet horum ingeniis ac pernolestum. Eligendi & instruendæ actui præcepta videmus & audimus multos perbelle callere, at belligerare, actum instruere, manu rem feliciter gerere, & decernere præsidio, non nisi paucissimos. Idem reuera in arte Logica hoc nostro seculo contingere videas. Sunt enim vbique multi & plures omnino quam vllo fortassis alio mundi ætate, qui artis huius præcepta aude atque studiose cognoscant, auctores in hoc genere multos legant, deque rebus Logicis norint & varie & acute in omnem partem disceptare: Quod quidem vt est ingenti ssimum à condito mundo seculi iudicium, ita & admirationem suam habet, & magnam saue laudem meretur, Sed ita vt dolendum simul sit, in tanto eorum numero, qui præcepta artis constanter impalescunt, tam esse paucos, qui diuinæ artis huius formam & imaginem vsu atque exercitatione ipsa re satagant exprimere. Et sæpe id quidem mecum solco cogitare qui causæ sit, cur cum omnes concorditer fateantur, Grammatica & Rhetorica præcepta in scholis nec satis docere fideliter, nec feliciter discs, nisi ij, qui Grammaticæ operam dant, stilum sæpe formant, & sese loquendo scribendoue continuo exercent: ij etiam, qui ad Rhetoricam audiendam sunt admissi; declamationes & orationes frequenter scribant & habeant: Logica tamen ars ita hodie tractetur, vt præcepta quidem explicentur & inculcentur diligenter, & exemplis etiam illustrentur: exercitia autem Logicæ artis nec ita vt optandum est plena, nec frequentia & certo quodam ordine & successione continuata instituantur. Nam quod ad disputationes attinet, sunt quidem istæ Logicæ artis exercitia planè necessaria, & talia quæ inæstimabilem fructum in omne genus studiorum effundant, sed interim particula tantum quædam sunt vsus Logici, quæ syllogismi doctrinam pene solam complectitur: Auctorum vero Analysis, vt Epistolarum & Orationum Ciceronis, Virgilij, item Horatij, & Ouidij, quæ in scholis laudabili almorum institutio frequentatur, magna parte ad Grammaticen & Rhetoricen pertinet, nec est in ea re præcipuum vsus Logici pondus & momentum constitutum.

Quod cum ita sit, spero, fore vt omnes dextrè & candidè iudicantes agnoscant, non leui me ratione motum esse, cur sexennio ab hinc priuatis meis in Academia Heidelbergensi auditoribus præluerem Manuductionem ad vsum Logicæ, cui postea Gymnasij Logici titulum dedi, libris aliquot adornarim, & deinde non magno interuallo iterum prælegerem, quin & nunc tertio in inclyta Reipub. Dantiscanæ Gymnasio proponam. Quæ quidem de vsu artis Logicæ commentatio quod impensis meditationibus, & lucubrationibus, quam

sollicitæ animi curæ con
cuius benignitati & gra
se vtilitatem elaboratæ
verborum; quæ dum le
lam fatebantur auditor
de Genesi tantum The
nam interim & possim
metis atq; ordinibus de
& constituta sint, perspi
studiosi, & iudicium ser
res & professores, quor
verbis memini me publ
aliquoties dedisse agno
voluit, Gymnasio inclyto
nem, processum & met
milias operarum pensa
tam imprimis certam via
dum arbitrabar, Logic
mino velut Circo & Cur
fixa est, sic vt pro no an
methodi è re iudicetur. E
Id; hoc ordine, vt prim
cia fiant Exercitiorum
mense Oratoria Exercita
anno cum semisse quinari
sequitur. Et est aliquo
Agon Gymnicus, siue ce
ex Thaletis precui dulc
Philosophiæ præscripsit
scopum illi, qui improba
tum Italiæ salutare, qui
discentium conatibus in
lso designatam, felix p
præclarissimarum disciplí
Dabam Dantisci ex Mu

OGICI AD EXERCENDAM
pro Auditoribus Philoſophiæ in
Dantiſcano.

rfecti.

perfecti.

quæſtionis controuerſæ { Vniuerſalis, ſeu perfectæ. / Singularis, ſeu imperfectæ.

quantum, quo ordine audiendum, legendum, diſcendum ſit.

{ Verbis. / Rebus.

Manifeſti.

Obſcuri ſine ænigmatis.

& libris autorum { Sacrorum. / Profanorum { Ciceronis. / Plutarchi. / Ariſtotelis. / Platonis.

ccurrunt digna memoriâ & imitatione, ad morem Collegij Gelliani, quod deſcribitur lib. 17. c. 2.

uat inter auditores Logicæ, ſingulorumque nomina & profectum habeat exploratum.
ppediret ſecundum delineationem hoc fine ſupra fictam.
rdine eum qui proxime Exercitium debeat proponere.
n artis regulas exercitium formandum ſit.
inter ordine, qui proxime cenſuram agere debeant.
ctus ſiue errata.
quid obſeruarint cenſura dignum.
cuè & fideliter de ijs publicè Exercitantem admoneat, vt intelligere diſtinctè poſſit, vbi & quibus cenſuram exneg-
ra laudem ex ijſdem obſeruatis promeruerit.

picæ habeat cognita.
de ſuppeditatam diligenter ſecundum artis regulas meditetur.
uro paratus ad recitandum exercitium accedat.
dra exercitium ſuum voce clara, diſtincta & tarda recitet, ſine affectu tamen & geſtu; nam hæc ad Oratorium colle-
nt, neque de iis nos exercitia Logica cum Oratorijs confundere.
o, ego cellus auditorio præſtoletur, dum præſes reuocandum curet.
am audiat, quæ deſiderata fuerint, annotet.
exercitium de integro recognoſcat, & iuxta auditam cenſuram ſingula mutet & emendet.

tus accedat, ita vt exercitium domi non minus tractarit, quam is cui exercitium recitandum eſt.
attendat ad exercitij recitationem.
etat an exercitium ſuum is, qui recitat, ſecundum artis præcepta conformarit.
itium cum illius, tacita cogitatione conferat & conſideret, melius ne id ſit, an deterius.

Duo themati perfecto ſubſtantiali.
Tres thematibus perfectis accidentalibus.
Tres tractandis thematibus imperfectis.
Tres thematibus conuinctis perfectis.
Vnus thematibus conuinctis imperfectis.
Duo indicandæ ſtudiorum conformationi.
Duo exhibendis locis communibus.

Tractationi ſeu Geneſi menſes ſedecim; & ex his menſibus

Tractatorum recognitioni ſiue Analyſi menſes reliqui octo: & ex his { Duo reſoluendis thematibus ſimplicibus. / Duo reſoluendis thematibus conuinctis. / Quatuor reſoluendis integris opuſculis & libellis auctorum ſacrorum & profanorum.

OPHIÆ AVDITORIBVS S.

ſollicitâ animi curâ conſtet, teſtis mihi pro multis milibus meus, eſt conſcientia mea, teſtis quoque is, qui artis Logicæ auctor eſt, & cuius benignitati & gratiæ id in ſolidum debeo, quid hic aliquot annis in arte Logica à me ad eius ſolius gloriam & inuentutis ſtudioſæ vtilitatem elaboratum & editum eſt. Quod quale ſit, rectiſſimi & bonorum doctorum virorum teſtimonio probari malim, quam verborum; quæ dum de me & meis laboribus meis ipſaque re referrem, nec ſi poſſem reperire, vellem quærere. Teſtabantur tum quidem & palam fatebantur auditores mei, quos non paucos habebam ætate & iudicio maturiores, qui cunque de vſu Logicæ ſcripſiſſent hactenus, de Geneſi tantum Thematis ſimplicis & conuincti, atq; adeò de diſputandi ratione tradidiſſe, deq; vero ſq; Thematis Analyſi: magnam interim & potiſſimam vſus Logici partem præterijſſe planè, neque adeo etiam totum exercitationis Logicæ ſtudium ſuo Circo, ſuo

Duo themati perfecto ſubſtantiali.
Tres thematibus perfectis accidentalibus.
Tres tractandis thematibus imperfectis.
Tres thematibus conuinctis perfectis.
Vnus thematibus conuinctis imperfectis.
Duo indicandæ ſtudiorum conformationi.
Duo exhibendis locis communibus.

Tractationi ſeu Geneſi menſes ſedecim; & ex his menſibus

Tractatorum recognitioni ſiue Analyſi menſes reliqui octo: & ex his { Duo reſoluendis thematibus ſimplicibus. / Duo reſoluendis thematibus conuinctis. / Quatuor reſoluendis integris opuſculis & libellis auctorum ſacrorum & profanorum.

AVDITORIBVS S.

imi curâ conſtet, teſtis mihi pro multis milibus meus, eſt conſcientia mea, teſtis quoque is, qui artis Logicæ auctor eſt, & nitati & gratiæ id in ſolidum debeo, quid hic aliquot annis in arte Logica à me ad eius ſolius gloriam & inuentutis ſtudioſæ m elaboratum & editum eſt. Quod quale ſit, rectiſſimi & bonorum doctorum virorum teſtimonio probari malim, quam quæ dum de me & meis laboribus meis ipſaque re referrem, nec ſi poſſem reperire, vellem quærere. Teſtabantur tum quidem & patur auditores mei, quos non paucos habebam ætate & iudicio maturiores, qui cunque de vſu Logicæ ſcripſiſſent hactenus, mum Thematis ſimplicis & conuincti, atq; adeò de diſputandi ratione tradidiſſe, deq; vero ſq; Thematis Analyſi: magnam interim & potiſſimam vſus Logici partem præterijſſe planè, neque adeo etiam totum exercitationis Logicæ ſtudium ſuo Circo, ſuo diſcipulis deſcripſiſſe; Iam vero quaſiter omnia, quæ ad vſum & praxin artis requirebantur expleta & diſpoſita, a ſint, perficient aliquando, iuuante & benedicente Deo, ij quicunque, qui me tum non audierunt, neq; nunc audiunt Logicæ iudicium ferent, qui in Germania, Gallia, Anglia, & alibi ſunt, per DEI gratiam multi & magni Logicæ artis doctoſſores, quorum ego iudicij quantum tribuam, & quam me libenter ac meas omnes lucubrationes ſubiiciam, conceptiſſimis iam me publicè eſſe ante hac teſtatum. Interea Deſignatoriam hanc Tabulam velut in anteceſſum liberanda eius, quam diſſe agnoſco fidei meæ præmitto. Quam ego Tabulam iſti imprimis, cui me DEVS operam meam docendo impendere ſio inclytæ Reipublicæ Dantiſcanæ patriæ meæ dulciſſimæ, deſignaui, idq; tali conſilio, vt totius Cyclopædiæ noſtræ ordium & metam auditoribus meis poſſem ſub oculis deſcriptam euidentius propinere. Bonus enim & induſtrius patresfaum penſa videmus familiæ ſuæ, in dies, in ſeptimanas & in menſes diſtinctè admetiri, & viatores expeditos nouimus metcertam viæ proponere, poſt itinerum interualla ac ſpatia in dies certos deſtinatiſſimè partiri. Idem volui quoque ſequentibus, Logicæ & Philoſophiæ auditores. Et vt ſequi non infeliciter poſſetis, ideirco Cyclopædiam noſtram vniuerſam geſtico & Curſu diſtinxi; Vno præceptorum, altero Exercitationum; Et præceptorum quidem curriculo Triennij meta præfigitur no anno Logica & Phyſica, altero Mathematica & Metaphyſica, tertio demique Ethica, Oeconomica, & Politica Exercitationibus, quæ partim Logicæ, partim Oratoriæ futuræ ſunt, Quadriennium dabitur cum Semeſtri, vt primi curriculi præceptorum anno exacto, atq; adeo præceptis iam Logicis explicatis, ſecundo anno ineunte auſpiciorum Logicorum biennio terminanda, prout in Tabula deſignatum eſt. Sexto autem ab inchoatis exercitijs Logicis Exercitationes incipiunt triennio finiendæ, quod peculiari Tabula deſignatum eſt. Ita nimirum fit, vt quarto quoque ſſe quinti, nouiſſima præceptorum & exercitiorum Cyclopædia finem ſuum ac metam ducente & benedicente Deo, conſt aliquando iſta Quinquennij periodus celebratiſſima, atq; ipſa ſuâ, vt ſic dicam, canitie & antiquitate veneranda. tus, ſiue certamina Olympica quinto quoque anno incipiente celebrabantur maximo Græciæ concurſu & applauſu. Atq; ocui dubio & aliorum ante ſe Philoſophorum ſcholæ & inſtitutis ſuum quoque quinquennium Pythagoras Cyclopædia raſcripſit, rigidis quidem illis perpetui ſilentij & tot auditus ſexennalibus legibus, ſi modo iſtius quoque præſcripti rationem & ei improbarunt per omnia ſunt affecti, minimè imitantium, cæterequin nobile omnino & præclaris conſtitutionibus refertare, quod ex eius vita apud Laertium liceat confirmare Koſtat Deum Opt. Max. deuotè precemur, vt docentium ac atui us in hac ſchola gratiosè benedicat, & Philoſophicam hanc noſtram Cyclopædiam, tanquam bono & integro conſio felicis progreſſu & euentu ſecundet ad ſui æterni nominis gloriam, & eorum, quibus iſta diſtinauimus, vberem in um diſciplinarum, ſtudijs profectum ac fructum. Quo voto deſignatoriam hanc Tabellam iubens conſigno. Valete.

Ex Muſeo meo poſtridie Arquiteſtij vernj Anni 1605.

BARTHOLOMÆVS KECKERMANNVS S. Th. L.
& Philoſophiæ in Gymnaſio patrio Profeſſor.

currentis anni 1605.

GYMNASII LOGICI

LIBER PRIMVS,

In quo Præcognita quædam generalia traduntur, ad Vſum Logicæ cumprimis neceſſaria.

Poſt abſolutum præceptorum Logicorum Syſtema ſiue methodum, ſequitur ordine naturæ & doctrinæ, Vſus artis atq; Exercitatio plenius & explicatius tradenda.

Eſt autem Exercitatio Logicæ, rationis ſeu mentis functio, quâ præcepta artis animo comprehenſa, rebus extra artem cognoſcendis, opere ipſo applicantur.

QVOMODO applicatio hæc feliciter & fructuosè inſtitui debeat, id duo ſequentes libri methodicè ac ſufficienter docebunt. Verùm ne ad pulcherrimã hanc rationis palæſtram illotis (vt aiunt) manibus & pedibus cõfeſtim accedamus, prælibanda nobis hoc libro tria potiſſimùm videntur:

1. *De Vſus Logicæ ſumma neceſſitate.*
2. *De eiuſdem via atq; modo.*
3. *De illius Periodis ac Converſionibus.*

I. Præcognitum. Iam ergo id primum dicamus, quod totius nostri instituti principium est ac fundamentum : In vsu artis omnis vim, perfectionem, & complementum esse situm, atq; adeo vsu demum artes possideri, & vsu vigere.

Id quod rationibus primò, mox grauissimorum autorum sententijs, atque testimonijs palàm faciemus. Ac primum quidem id statuendum est, omnem habitum, atq; adeo etiam artem tribus acquiri medijs, siue causis; naturâ, præceptis, & exercitatione : è quibus si vnum saltem absit, iam de artis possessione periclitamur. Atq; hoc fuit apophthegma Aristoteli vsitatum, vt Laërtius in eius vitâ refert : tria ista ad habitum requiri, quæ diximus. Et idem etiam scribit 3. Rhet. ca. 12. & 7. Polit. ca. 13. vbi verba sunt memorabilia · Σπουδαῖοι γίγνονται διὰ τριῶν; τὰ στρία δὲ ταῦτ' ἐστι. Φύσις, λόγος, καὶ ἔθος, hoc est : *eruditionem acquirunt homines tribus medijs, quæ tria sunt hæc : Natura, ratio præceptorum & consuetudo.* Cui vocem suam vltrò accommodat Plutarchus in libello De institutione, cùm inquit : Ἡ φύσις ἄνευ μαθήσεως, τυφλόν; ἡ δὲ μάθησις δίχα φύσεως, ἐλλιπές; ἡ δὲ ἄσκησις χωρὶς ἀμφοῖν, ἄτελες · hoc est, *natura sine institutione est cæca, hæc sine natura est imperfecta; exercitatio autem sine vtraq; est deficiens, imperfecta.* Iam ergo cum Logica sit ars, atq; adeo habitus quidam, vtique non naturâ solum, nec præceptis tantum, sed inprimis vsu, atque exercitatione in mentem nostram introducetur. Vnde iam secundum confirmationis nostræ argumentum vltrò profluit, quod tale est; *Ex quibus res quælibet nascitur, & constat, per eadem etiam conseruatur : at omnis ars nata est ex omni obseruatione, vsu atq; experientiâ,* vt Philosophus confirmat c. 5. 2. poster. Analyticor. Et inprimis c. 1. 1. Metaphysici. cui eleganter succinit Manilius lib. 1.

Per varios vsus artem experientia fecit
Exemplo monstrante viam.—— Cum igitur Logica ars sit, necesse est eam ex obseruatione exemplorum extitisse, atque ab experientia ortum incrementumque suum sumsisse, quando nimirum eminentia & heroica in humano genere ingenia, cum viderent & sentirent, naturæ, iudicijque circa rerum cognitionem defectum, quædam cogitationum compendia sibi fecerunt,

atque

atque obseruatione crebra stabiliuerunt. Vnde concluditur eandem illam Logicam plenè intelligi, disci ac memoriâ comprehendi: id est, præceptis suis in mente nostra constare, ac conseruari neutiquam posse, nisi præcepta eius ad exemplorum vsum & πρᾶξιν, vnde nata sunt, iterum à Logicæ studioso applicentur: non secus ac homo, qui è terra sumptus, & è sanguine procreatus est, conseruari diu, ac constare nequit, nisi è terra productis alimentis nutriatur. Accedit tertiò, quod omnis disciplina sit potentia quædam, seu facultas, vt docet Aristoteles 9. Metaph. c. 2. inquiens; *Omnes artes & scientiæ sunt potentiæ*: At verò omnis potentia perfectionem & complementum suum in & ab actu consequitur, vt idem docet 8. Met. c. 3. Et 2. De anim. textu 33. Vnde Cicero, *Virtutis laus in actione consistit*; respiciens nimirum ad Aristotelem, qui virtutem & habitum omnem meram dicit esse potentiam: Itaque & Logica, si eam ab exercitatione separemus, nil nisi potentia futura est, & perfectionem vltimam nunquam obtinebit; nisi in actum, id est, in vsum exercitationemque deducatur. Iam & id inprimis etiam considerandum est, artes pertinere ad νοῦν, siue intellectum ποιητικὸν, vt docemur 6. Eth. 4. & 1. Metaph. 1. At intellectus factiuus faciendo fit talis, & faciendo perficitur, non cognoscendo; secus enim inter hunc & νοῦν θεωρητικὸν nihil interesset; πόνησις autem nihil est aliud, quàm exercitatio, quàm vsus artis, qui Aristoteli γυμνασία, πεῖρα, Διατριβὴ, μελέτη dicitur. Hinc rectè scholastici, *Intellectus operatiuus incipit à fine seu vsu, & definit in eodem.* Pertinet huc sententia, quam Francisco tribuunt: *Tantum scit homo, quantum operatur.* Hæ nimirum rationes sapientissimos autores permouerunt, vt vsum artium inprimis vrgerent, ac commodarent, vtque vetustus Philosophus diceret: ὁ λόγος ἄνευ ἔργων σαπρός. Id est, *Putridus est omnis præceptorum apparatus sine opere.* Et Tertulliani, ni fallor, neruosa, & breuis vox est: *Non copiæ, sed vsus*; hoc est, non tam de præceptorum multitudine in artibus laborandum, quam de paucorum exercitatione; & notum est prouerbium: *Fabricando fiunt fabri*; οἷον οἰκοδομοῦντες, οἰκοδόμοι γίνονται, καὶ κιθαρίζοντες

ζοντες κιθαρισταὶ, vt inquit Aristoteles 2. Eth. c. 1. ita logici demum fiunt Logicam exercendo. Et sicut verissimè dictum est, *Purum grammaticum esse purum asinum*: ita longè verius dictum est, purum asinum esse illum logicum, qui logica præcepta sic discit, vt nunquam exerceat. Quo etiam respexerunt ij in vetusta ecclesia patres, qui *purum logicum, purum dixerunt hæreticum*; quia scilicet præceptorum speculatio ab vsu seiuncta in abusum curiosa ingenia solet abripere, ac seducere. Sed iam vocē præceptoris audiamus apertius, qui 1. Meta. c. 1. sic inquit: *Experientia artem efficit, & ad agendum videtur experientia ab arte differre*: quin imo videmus expertos magis id, quod intendunt, consequi, quàm illos, qui λόγον, id est, præcepta tantum tenent; & addit causas; *quia ars sit τῶν καθόλου, id est, præceptorum vniuersalium methodus; vsus autem & actio mentem deducat ad applicationem eam, quæ in singularibus occupata est*: applicatione autem in omnibus rebus nihil est dfficilius, & quod maiorem circumspectionem, atque prudentiam requirat. Vnde videmus sæpe ingeniosissimos, in præceptis tum medicis, tum iuridicis ad vsum atque πράξιν ineptos reperiri: quia scilicet ista differunt: & aliud est ingenium, ac iudicium circa vniuersalia: aliud verò expedita animi promptitudo, quâ vniuersalia singularibus, & hæc illis accommodantur. Ita vt in eam omnino sententiam veniam, quam ante quoque exposui, quod inter notitiam præceptorum, eorundemque exercitationem media quædam mentis facultas interueniat, quam quis solertiam possit appellare, sicut Aristoteles 6 Ethic. cap. 10. comitem quendam prudentiæ adiungit, quam vocat Συνέσιν: quæ quidem solertia nullis acquiritur præceptis ipsius artis, sed tantum peculiari manuductione eget, tum etiam frequenti mentis descensu ad singularia, id est, ad ipsa exempla artis. Atquè hinc est, quod 6. Ethicorum capite septimo inquit: *In attinentibus ad effectionem, longe plus tribuendum viro experto, quam ei, qui in vniuersalibus tantum versatur*: & capite 11. eiusdem libri: *Vsu peritorum & senum pronunciatis etiam non demonstratis attendendum esse, quia per experientiam oculum quendam consecuti principia facilè cernunt*. & cap. 10.

Eth.

Eth. 1. *Non ſatis eſt vniuerſalia in artibus cognoſcere, ſed ad ſingularia deſcendendum eſt.* Idem grauiter monet, tum primo Poſteriorum cap. 1. tum 1. Priorum cap. 21. eum, qui artis præcepta norit, ſcire quidem τὰ καθόλου, in ſingularium verò vſu verſatum atque exercitatum ἀπλῶς, καὶ πρὸς τὸ ἐνεργεῖν absolutè, & actu ſcire. Et huc pertinet etiam dictum Anaxagoræ, *qui manum*, id eſt vſum, *ſapientiæ matrem atque cauſſam appellauit.* Ciceronis teſtimonia nunc ſubijciamus: is in oratione pro Archia: *Pudeat eos*, inquit, *qui ita ſe literis abdiderunt, vt nihil poſſint ex his neque ad communem afferre fructum, neque in aſpectum lucemque proferre.* Et in oratione pro Rabirio: *Vſus eſt optimus magiſter.* Sic 1. de Oratore: *Vſus frequens omnium magiſtrorum præcepta ſuperat.* Et in 1. Officiorum: *Nec medici*, inquit, *nec imperatores, nec oratores, quamuis artis præcepta perceperunt, quicquam magna laude dignum ſine exercitatione conſequi potuerunt*: quia ſcilicet, vt Ouidius inquit ſecundo de arte amandi;

——illu operum prudentia maior,
Solus & artifices qui facit, vſus erit.

Addamus & teſtimonium Senecæ ex Epiſtola 23. *Quem in ipſa re*, inquit, *trepidare noluerit, ante rem exercetas*: nimirum hoc dicere voluit Seneca, quod Ariſtoteles 2. Elench. cap. 1. *Sicut in aliis omnibus rebus celeritas & tarditas pendet ab exercitatione; ita etiam in Logica.* Tametſi enim res nobis cognita ſit, ſæpe tamen nos expedire in tempore, vt decet, non poſſumus, quia deeſt exercitatio. Idem dicit 2. Ethicor. capite 3. *Quod mentis lætitia ac facilitas in actionibus virtutum à crebra exercitatione manet, ijs autem, qui exercitati non ſunt, cum difficultate ac triſtitia operentur: quod quidem certum eſt ſignum habitus nondum probè acquiſiti.* Eſt & alter locus Senecæ in epiſt. 6. dignus obſeruatione: *Longum ac difficile iter eſt per præcepta, breue & efficax per exempla.* Apud Epictetum itidem Stoicum Phil. libro primo, capite ſeptimo, vſus artium cordatis admodum rationibus commendatur. *Num ſatis eſt*, inquit, *ſolum diſcere, & an ſatis eſt audire hortatorem, qui monet probatæ monetæ denarium accipere, adulterinæ verò reijcere? certè non ſatis eſt; quid ergo huic admonitioni oportet addere? nihil aliud, quam facultatem, ſiue inductionem experimenti,*

menti, quâ quis discernere possit denarios probos ab adulterinis: quapropter sic pensitandis rationibus simplex præceptum non sufficit. Nec possum, quin citem graue testimonium scriptoris militaris Vegetij, qui libr. 2. sic inquit: *Omnes artes omniaq; opera quotidiano vsu & exercitatione perficiuntur*: quod si in paruis verum est, quantò id magis decet in magnis custodiri? Elegans quoque Diog. Cynici dictum; ὡδέ γε μὴν τὸ παράπαν ἐν τῷ βίῳ χρεὼν ἀσκήσεως καταβῆναι, ἀνυπάρκτου τινὸς ἄνευ ἐπιτηδεύσεως. *Nihil omnino in vita sine exercitatione recte perfici, hanc vnam posse omnia vincere.* Nec minus illustre est illud Plutarchi: *Vt ferrum*, inquit, *& as vsu splendescit; ita animi vigor exercitatione enitescit.* Videbat nimirum sapiens, & grauis author, ingenium & iudicium humanum ita nasci à primo exordio, sicut videmus in terra prouenire metalla, quibus multæ scoriæ adhærescunt, quæ nisi igne excoquantur, & depurgentur, auri argentiue pretium, & gratia pene omnis perditur: Ita hominis ingenium, etsi vt Poëta ait, *sit pretiosius auro*: tamen multis ijsque fœdis sordibus per naturam est inquinatum, quas quidem ars incipit detergere, sed ita vt perfectè nunquam expoliat, nisi succenso igne crebri atque continui vsus, quo omnes tandem ab humana mente sordes remouentur, atque intellectus in actum ita deducitur, vt ex possibili, quem vocant Philosophi, fiat agens, & vera illa ac continua Aristoteli dicta ἐντελέχεια, quod Cicero vertit *perpetuam agitationem*: quæ versio, etsi fortè Aristotelis sensum non exprimit, ad id tamen, quod volumus, valde est accommodata; nimirum ingenium, & mentem hominis, dum adhuc est in potentia præceptorum, suam nondum perfectionem esse assequutam. Huc facit etiam, quod Claudianus canit lib. 3. de raptu Proserpinæ:

——— *retrusq; remotas*
Ingenio sa vias paulatim explorat egestas,
Vtq; artes pariat solertia, nutriat vsus.

Hoc nimirum est, quod à principio dicebatur, artem quamlibet ex vsu, atque exercitatione nasci: atque id circo etiam in mentis ipsius substantiam coalescere non posse, nisi assumto vsus nutrimento, beneque in animo cocto. Scita illa, ac grauis Quintiliani sententia huc pertinet,

pertinet, cum de actione agens, inquit: *Nihil perfectum niſi vbi natura curâ adiuuatur*; per curam nimirum ſignificans non præceptorum tantum cognitionem, ſed vſum inprimis atque exercitationem innuens. Nec omittenda videtur ſententia Boëthij, qui in libro De diſciplina ſcholaſtica præclarè inquit: *Diligentiâ cuiuſlibet operis obtuſitas permollitur, & prudentia ſine iuſtitia parum vel nihil poteſt; iuſtitia ſine prudentia multum: ſic ſine vſu ſcientia parum, vſus autem cum ſcientia plurimum valet.* Quod idem Quintiliani dictum: cum quo congruit teſtimonium Caſſiodori libr. 9. *Quis ignorat*, inquit, *omnibus artibus, aut artificibus maximum decus ex vſu venire: cumque ſtudia conſueta non frequentantur, brachia in corporibus, ingenia pigriſcunt in artibus.* Nec prætereunda grauis illa & pia admonitio Bernhardi, quæ extat ſermone 16. ſuper Cantica. *Sunt*, inquit, *qui ſcire volunt, vt ſcientiam ſuam vendant, & turpis quæſtus eſt: Et ſunt, qui ſcire volunt, vt ſciantur ipſi; & turpis vanitas eſt: ſed ſunt quoque, qui ſcire volunt, vt adificent, & charitas eſt; & ſunt, qui ſcire volunt, vt adificentur, & prudentia eſt.* Iam, vt ad recentiores etiam authores veniamus, audiatur iudicioſiſſimus author Ludouicus Viues libro de inſtrumento probabilitatis: *Nihil omnino tota ars ſine diligenti & ſedula tractatione profutura eſt: hæc vero etiam extra artem multas habet vires, & validas: quippe maximi fuerunt oratores, & diſputatores acutiſſimi, antequam ars vlla eſſet inuenta, & ex quorum vſu, atque operibus ars eſt obſeruata.* Atque in eo quidem Viues ſentit cum Cicerone, &, niſi fallor, etiam cum Horatio, qui artem & vſum in contentionem dignitatis vocantes, vſum arti prætulerunt: quod tamen video cautâ egere diſtinctione. Eſt enim aliquid, quod artem ſupra vſum commendat: Et eſt alterum, quod vſum ſupra artem euehit. Ars enim cum circa vniuerſalia verſetur, inuentione eget admodum ingenioſa: ita vt primi artium inuentores velut heroës quidam & ſapientiæ parentes, atq; educatores meritò ab Ariſtotele celebrentur, 1. Metaph. cap. 1. Et cum nihil etiam in humanis rebus, pulchrius ſit ordine, vt Xenophon inquit, & verò ordo ſit forma, atque anima

artis,

artis, hoc etiam nomine ars ſupra vſum commendanda venit; denique accedit ad artis gloriã, quod vſus omnis temerarius ſit, & cæcus, niſi artis normã, ac velut Theſeo filo dirigatur; interim tamen cum vſus arti complementum largiatur, & ars ad vſum, tamquam ad ſuum finem referatur, eoque adeo perficiatur, iccirco nondum perfectionem laudis, & gloriæ ſuæ arti videtur concedere. Diſtinguamus ergo artem, quatenus ſumitur pro collectione præceptorum, ab arte quatenus ſignificat totum, & integrum illum habitum ex præceptis, & vſu acquiſitum, quo quidem poſteriori ſignificatu ars vſui non cedit, ſed vſum in ſe continet. In priori autem ſignificatu ars vſui cedit, quia etſi præcepta ſint norma vſus, tamen ipſius habitus cauſſæ ſunt minus principales & inſtrumentariæ. Vſus autẽ, & exercitatio eſt eiuſdem cauſſa, & principalis, & proxima, inter quam, & poſſeſſionẽ habitus, nihil interuenit maiori cauſſandi vi præditum, cum inter præcepta, & vſum, media intercedat vis quædam applicatiua generalium ad ſingularia, quam παιδείαν Logicam quis non malè appellarit; etſi Ariſtoteles libr. primo De partibus animalium, capite primo, & 1. Ethicor. capite tertio, & 1. Phyſicor. text. 61. παιδείαν aliquanto ſumere videatur ſpecialius, pro facultate rectè iudicandi methodum docendi, ac diſcendi, quæ eſt pars vſus Logici, vt infra docebitur: tamen ſi totam vim ex arte Logica in mentem iudiciumque humanum introductam παιδείας titulo inſigniamus, nihil vtique alienũ fecerimus, vel a ſignificatione vocabuli huius, vel etiam à mente Ariſtot. qui totã Logicam πρόπην παιδείας appellat ſub calcem 2. Metaph. itaque inpoſterum terminum hunc παιδείας ita vſurpabimus pro tota logica exercitatione; quin & potuiſſemus hiſce noſtris tribus libris hunc etiam titulum præfigere, quod ſint de παιδείᾳ. Iam tempus eſt vt vocem audiamus publici Germaniæ præceptoris Philippi Melanchth. qui paginâ vltimâ Dialecticæ ſuæ anno 28. editæ, ita inquit: *Meminerint adoleſcentes ad hæc præcepta conſuetudinem diſputandi, & ſtyli exercitium adhibendum eſſe: ita fiet, vt perſpiciant vim atque vſum præceptionum; vt enim ridiculus faber foret, qui multos malles comparare, non vt iis vterentur, ſed vt officinam copioſe*

copiosè instructam haberet, nec alium posset eius rei finem: ita sunt inepti, qui nullum existimant alium finem esse Dialectices, quam vt habeant bibliothecam his libellis instructam. Producenda ars est ex schola in aciem, & ad magnas causas accommodanda: idem agere videtur is, qui non addit vsum, & exempla regulis, quam qui in tenebris egregiam picturam collocat. Quasi diceret vir magnus, esse quidem egregiam imaginem præceptorum in disciplina logica adumbratam, atque depictam, sed nullam ex ea vel voluptatem vel vtilitatem percipi posse, nisi vis præceptorum, & pulchritudo in lucem vsus atque exercitationis constituatur. Et alius quidam logicus nostræ ætatis non indoctus, Petrus Molinæus, dicit eos, *qui multa præcepta logica colligunt, & interim tamen ad construendum logicum opus non accedunt, similes sibi videri iis, qui multos malleos, aut forcipes coemunt, & interim nihil habent, quod incudant, quod vellant.* Ego addiderim similes tales mihi videri ijs, *qui multos loculos, aut marsupia coemunt, & nil habent numorum, quod recondant; aut ijs etiam, qui vasa multa conuehant in nauem, cum nihil adsit vini, quod seruent.* Itaque vt primam huius commentarij partem concludamus, id tam maneat in summa cauſſæ, atque hypotheſi noſtra, quod veteres grauiter monuerunt: *Naturam incipere, artem dirigere, sed vsum atque exercitationem solam perficere; atque ita naturam quidem facere habiles, artem facilis, sed solum vsum potentes, atque fructiferos,* vt prudenter sentit, & benè loquitur Albertus Magnus in præfatione super primum Topicum.

II. Præcipuum.

Etsi autem de omnibus artibus & disciplinis practicis verissimum est quod hactenus diximus; tamen ita semper iudicaui nullius artis vsum atque exercitationem magis esse necessariam, magisque difficilem, atque iccirco maiori studio, assiduitate, ac conatu vrgendam, quàm Logicæ: quod quidem facilè me obtenturum spero apud eos, qui artis huius naturam præ reliquis omnibus singularem secum reputarint. Etenim reliquæ artes vel circa corpus versantur, vel circa corporis aliquod accidens: hæc autem circa rem mundanarum omnium subtilissimam, maximè sublimem, hominis nimirum mentem, siue intellectum; qui quidem per rerum primorum parentum variè corruptus, si ad aliquam saltem integri-

integritatem reſtitui debeat, laborem, & curam ingentem requirit, præſertim cum cupiditatibus & affectibus temperamenti corporis, i. humorum in corpore efferueſcentiâ variè agitetur ac turbetur, quo minus artis formam, ac præcepta, ita, vt debet, poſſit imbibere. Vnde Scriptura Geneſeos ſexto, *Cogitationes hominis prauas pronunciat*; & Paulus Epheſ. 4. v. 18. dicit homines eſſe obtenebratarum cogitationum; & Poëta Metamorph. 6. Exclamat;

Proh ſuperi, quantum mortalia pectora cæca
Noctis habent!

Atque in eo quidem Logicæ gloria maxima eſt, quod imaginis diuinæ crepuſculum illud in nobis reliquum, ad lucem clariorem nitatur reducere, atque ita defectibus mentis noſtræ, quantum in hac vita fieri poteſt, mederi, & rectitudinem intellectui ſuam reſtituere; quod, vt difficile eſt, atque arduum, ita arduam requirit exercitationem. Accedit, quod per reliquas artes, & diſciplinas aliquid extra nos operamur; per Logicam autem in nos ipſos agimus: iam autem, vt ſeipſum noſſe, ita in ſeipſum operari, valde eſt difficile, atque ideo circo attentiſſimam curam poſtulat; Sicut dicitur, medicos neminem curare difficilius, quàm ſeipſos. Per reliquas diſciplinas res cognoſcimus, per Logicam autem noſtrammet ipſorum cognoſcimus cognitionem: per reliquas diſciplinas res iudicamus, & cogitamus, per Logicam noſtrummet iudicamus iudicium, noſtrasmet cogitamus cogitationes, an ſcilicet ex rectè conformentur: Iam verò Philoſophi id fatentur, valde arduam & difficilem eſſe mentis humanæ ſupra ſemetipſam reflectionem: vnde Scholaſtici; *reflexiua cognitio facilè eſt difficilima.* Atque id inſuper accedit, quod Logica non tantum eſt inſtrumentum aliquod mentis actionem iuuans, ſed ſimul eſt regina, ac norma, velutque amuſſis, quæ intellectum regit, & regendo eidem imperat, certis præſcriptis cogitandi legibus: Itaque cum aliæ artes per Logicam veluti normam conſtituantur, ac regantur, Logica per ſeipſam regitur: quæ rectio maxima eget cautione, maximaque in ingenio humano exercitatione.

Præ-

Præterea Logica circa rerum omnium cognitionem verſatur, cum reliquæ artes ſingulæ ſingulas res ſibi deſtinent: at rerum quanta ſit, tum copia, tum varietas, manifeſtum eſt cuilibet; copia autem magna, & magna varietas maximam requirit curam, exactum delectum atque exercitationem. Finis & officium Logicæ eſt ignoti notificatio, obſcuri atque ambigui illuſtratio, & diſtinctio, incerti probatio denique, & ordinatio confuſi, atque ita de ſeſe nobis promittit tria maxima bona; veritatem, perſpicuitatem, & ordinem, quibus nihil eſt in humanis rebus aut ſublimius, aut pulchrius. Iam verò notum eſt illud, Δύσκολα τὰ καλά, id eſt, *difficilia quæ pulchra*. Quæ difficilia, ea maiori opus habent curâ; hinc nimirum Democritus apud Laertium quæritur, ἐν τῷ σκοτεινῷ εἶναι τὴν ἀλήθειαν, id eſt, interprete Ciceronе tertio Academicarum quæſtionum, *Veritatem in profundo demerſam, ipſamque abſtrusam*: & Lucianus in Piſcatore venuſtè fingit veritatem eſſe nudam ſubterfugientem & ſubterlabentem virginem γλισχρὸν γὰρ τὸ γύαλον τὸ τῆς ἀληθείας. Taceo iam, quod tot, tamque variæ circa artem logicam eiuſque præceptas doctorum virorum diſputationes, ac diſſenſiones facilè queant ſtudioſum à veræ artis vſu tranſuerſum abducere, & ad artis inania quædam πάρεργα ἀπὸ τοῦ ἔργου ſeducere. Galenus alicubi præclarè monet, quod præceptum in arte neceſſarium ſit, & homogenium, ex vſu eſſe iudicandum, quæ ſit præceptorum regula & menſura; id conſilium ni hodie ſequantur Logicæ ſtudioſi, & ſeſe ad artis exercitationem maturè ſimul & ſerio accingant, non eſt, quod impenſi in Logicam ſtudij, curæ, & temporis pretium vllum ſibi deſpondeant; tantæ nimirum ab aliquot annis exortæ paſſim ſunt ſcholarum de præceptis artis diſſenſiones, tot tamque variæ controuerſiæ; nec vlla eſt, auſim dicere, liberalis hodie diſciplina, quæ maioti controuertentium & ſcriptionum copia, ac mole laboret, & exagitetur, quam Logica: vt verè nunc dici illud poſſit, quod olim dixiſſe Cynoſdemi legimus apud Stobæum ſermone 81. Διὰ τὴν διαλεκτικὴν ὄχλῳ ὅμοιον εἶναι. Si enim hic cyrillos ſonet tunc ſtudiosos ad dialecticam tam ſeriam falſis ſuis opinionibus refutare. Ea certe cum videa-

videamus nostrum hoc seculum ab annis sexaginta logicæ artis inprimis esse cupidum, ferrique ad eam ingenia plurima, excellentia & magna, de Logica vbique sermones in scholis conseri, opera inprimis danda fuerit, ne de hac arte tam illustrem ac præclaram spem conceptam fallamus, quin potius ecclesiæ, & reipublicæ palàm probemus, meritò in scholis hoc nostro seculo Logicæ studium tantoperè commendari, atque amari. Iam porrò id etiam considerandum venit, per Logicam eleuari mentem atque ingenium humanum, atque abstrahi à rebus circumfusis, sensibilib. ac singularib. & cœlesti quodam curru euehi ad res vniuersales, rerumque perpetuas & purissimas essentias: abstractio autem, & eleuatio mentis (vt Plato inquit) difficile quid est, & idcirco exercitationem singularem requirit. Et cum reliquæ artes versentur circa subiecta oculis reliquisque sensibus exposita, idcirco discipulos suos per præcepta ita instruunt; vt peculiari introductione ad vsum non videantur opus habere; in Logica autem secus se res habet; siquidem non tantum artis methodo, ac præceptorum forma hic egemus, vt iam aliquoties monui, sed peculiari etiam χειραγωγία, siue introductione ad capessendum atque aggrediendum artis huius vsum, atque exercitationem: Reliquæ artes præceptorum suorum fines, atque officia euidenter ac palàm sensui conspicienda exponunt, vt ars fabrilis operum suorum fines, quocunque oculos vertas, manifestos facit in clauo, in claue, in serra, in sera, & id genus alijs fabrorum effectibus. Architectonica quoque effectum opusque suum oculis clarissimè subijcit, domum nimirum, ac palatia, quæ licet quotidie intueri; Sed Logicæ artis molimina atque opera à sensibus sunt remota, nec agnoscuntur nisi ab ijs, qui intellectum habent, atque ingenium arte formatum, & mentem norunt à sensilibus ad ea, quæ intellectus propria sunt, eleuare; sicut eleganter Xenophanes Colophonius dixit; *Vt fabrilia non nisi faber, sic sapientiæ opera non nisi sapiens oculis potest intueri.* Habent ergo mechanici artifices magnum certè in eo compendium, ac leuamentum laboris sui, quod præceptorum suorum vsum aut manibus possunt

palpare, aut euidenter oculis contueri, atque ita ex ipso aspectu artis suæ finem rectius sibi imaginari, ac pressius infigere; media etiam, seu præcepta finis ex illo aspectu tum planius intelligere, tum etiam firmiori recordatione repetere; vt pictor aliquis aspiciens imaginem ab Apelle depictam, tum ex eo artis suæ vsu, & efficacius commouetur, & potentius erigitur; quia ad exemplar vsus, quod sensibus vndique hausit, suam deinde operationem potest confirmare. Cum ergo artis Logicæ vsus in opere ipso, ab alio artifice Logico confecto, non possit aut inspici, aut iudicari, atque intelligi nisi ab eo, qui artem Logicam iam didicerit, vtique appareat valde operosum esse, & difficile Logicæ artis præcepta exercere sine peculiari quadam instructione & manuductione eius, qui diuturni temporis operam in hanc artem impenderit. Accedit, quod reliquarum artium instrumenta, quibus artifices vtuntur, ita sint fabrefacta, talemque obtineant formam, seu figuram, quę non tantùm in sensus efficaciter incurrit, sed etiam vltrò & liquidò indicat, quis eorum vsus esse possit, & qualiter ad opus faciendum debeant applicari: vt exempli causa; tyro artis fabrilis inspiciat forcipem & malleum, atque ex illo nudo aspectu sine vllo monitore repentè intelligit forcipem ad extrahendum, malleum ad incudendum esse comparatum, atque id iam peruidet aliter omnino ad opus fabrile faciundum malleum applicare debere, aliter forcipem, ita vt in applicatione errare non possit. At verò instrumentorum logicorum longè diuersa est ratio; nam cum à sensibus longissimè absint, quin imò supra ipsum etiam intellectum, & primas rerum notiones transcendant, naturam induunt subtilem admodum, ita vt figura & forma eorum non conspici, aut iudicari ante artem, sed ex artis præceptis & canonibus demum possit.

Neque enim quisquam generis, aut speciei proprietates, i. figuram ac formam animo percipere potest sine præceptis in arte traditis. Atque ita fit, vt dum ars tota in instrumentorum suorum proprietatibus explicandis est occupata, discentis ingenium ad applicationem ipsam instrumentorum serò possit atque impeditè

deduci. Quæ etiam causa est, quod tam multa ingenia ad notiones istas logicas, velut Sirenum scopulos, magno naufragij periculo adhærescant, & in speculationibus istis nihil vltra puerilem ætatem, si vlum spectes, progressi consenescant. Nimirum notiones istæ logicæ crepundia tantum quædam sunt, & velut citharœdorum teretismata, quæ mentem titillant, ac ludunt, meritò comparanda vmbræ alicui, quam pueri fugientem insequuntur, aut longis arundinibus quas pueri inequitant, aut calculis etiam, quos suaui quadam imaginatione computando, delirus aliquis colligit, existimans scilicet se tantam aureorum summam habere, quantam habet calculorum. Quin & illud perpendendum est, nisi logicæ artis vsus designatè atque expressè adumbretur, tuisque velut partibus describatur, maximum ingenijs iuuenilibus periculum ab eadem illa arte Logica imminere. Etenim quia res istæ, quæ ibi traduntur, non tam res sunt, quam adumbrationes & imagines à viris sapientibus pictæ, nisi vsus fideliter monstretur, accidere solet, vt curiosa iuuenum ingenia pro vsu sibi ipsis mira monstra, & meros Logicorum præceptorum abortus & abusus confingant, & inania sophismata, tanquam aranearum telas ex sese texant; atque deinde tum sese, tum alios veluti muscas inuoluant, vt ita ecclesijs, aut scholis non tantum non vtilia, sed etiam noxia ac perniciosa eiusmodi existant: quod experientia nimis testatur. Itaque hoc salubertimum existimo esse consilium, vt iuuenes potius à Logica arceantur, quàm eius præcepta vel ex dimidio tantum minusque dextrè discant, vel ad eorundem vsum non fideli manu deducantur: Siquidem verissimè Lucianus dixit *homines liberalibus disciplinis semidoctos valdè esse noxios*; & memini me olim à magno viro audire, *dimidium & semidoctum Logicum miserrimum esse & pestilens animal*. Atque id etiam memini me scribere sub calcem *Logicorum Præcognitorum*, logicam artem præ omnibus disciplinis hoc habere peculiare, vt sicut plenè & fideliter tractata ingentem, & diuinum sui vsum præstet; ita contra, si vel ex dimidio tantum, vel superfluè etiam minusque dextrè doceatur, longè plus humano generi obsit, quam prosit.

Cum

Cum enim ſecundæ notiones inſtrumenta ſint nos iuuantia ad rerum notitiam, neceſſe eſt eas ad eundem omnino finem cum mente noſtra tendere; ſecus ſi fiat, & ipſe inutiles ſunt, & magis quoque mens ipſa errat à primis rerum cogitationibus ad ſpectra quædam rerum & ſimulachra; ſic enim merito logicas iſtas notiones voco, cum nihil ſint extra mentem in mundo à Deo conditum, aut naturaliter procreatum, aut in materia aliqua naturaliter & ſenſibiliter fabrefactum, ſed tantum à mente humana delineatum aliquid, & cogitando adumbratum, quod tamen artificioſa quadam, & ingenioſa admodum ſimilitudine rerum naturas ingenio humano effingat, inque ipſis adeo rebus extra mentem fundamentum ſuum obtineat, modò ad illas etiam res, in quibus fundamentum iſtud obtinet, facta per vſum & exercitationem applicatione referatur; ſecus ſi fiat, nec finem, id eſt, complementum & perfectionem naturæ ſuæ, nec dignitatem etiam vllam eiuſmodi cogitationum imagines poterunt obtinere; planè vt imago in ſpeculo lucens, niſi ab inſpicientis mente referatur ad rem eam, quam repræſentat, & cuius imago eſt, facilè è memoria elabitur, & aſpectantes inaniter ludificat, prout videmus deludi infantulos, cum ad ſpecula admoti in ijs faciei ſuæ imaginem vident, interim ſe aliam quandam exiſtimantes à ſeipſis diuerſam perſonam conſpicere, idcirco arrident imagini, vel captant eam manibus. Concludamus ergo, & conſtituamus theſin hanc. *Nullam planè eſſe artem, in qua vſus atque exercitatio maioris canatu vrgeri debeat, quam in Logica*; & idcirco in hac eadem arte tradenda non præcepta ſola ſufficere, vt in aliis, ſed requiri quoque, vt is, qui Logicam docet, ſub finem Syſtematis præceptorum ſuis auditoribus peculiarem inſtitutionem communicet, quâ & diſcant, quomodo notiones ſeu præcepta Logica, tam ſubtilia, & à ſenſibus remota ad rerum cognitionem & doctrinam poſſint dexterè atque expeditè applicari. Nec eſt quod quis obijciat, fieri hoc in ipſo Syſtemate, vbi præceptis exempla adduntur, atque ita applicatio in exemplis monſtratur: etenim etſi per exempla particularis aliquis vſus

ſingulorum præceptorum poſſit perſpici, tamen vniuerſalis vſus, & illa Logicæ opera atque artificia maiora, non ita per iſta particularia exempla poſſiunt, vt debebant, perſpici: qua de re paulo poſt in diuiſione huius Logicæ monendum fuerit. Reſtat tertium inſtituti noſtri velut principium & Prægnitum; *Hiſtoria* nimirum *vſus Logici*, de periodis & conuerſione exercitationis Logicæ, quam per diuerſas mundi ætates & temporum ſeries deducam, hoc fine, vt ex collatione temporum appareat, quidnam hæc noſtra præſens ætas in vſu huius diuinæ artis præ alijs ætatibus poſſit præſtare, aut non poſſit.

III. Prægnit.

Ac primæ quidem ætatis homines, noſtri ſcilicet, tum naturâ, tum fide parentes cum eſſent viciniores primæuæ iſti, in qua homo conditus eſt, imagini Dei, & naturæ integritati, cum etiam aëre, victu, & temperamento corporum fruerentur ſalubriori & firmiori, ideo Logicam etiam illam naturalem potiſſimum exercuerunt, artificiali non ita vt nos neceſſariò egentes. Atqui iſta Logicæ naturalis in hac ætate exercitia in his potiſſimum poſita fuerunt: Primo in Logicæ artificialis inuentione propter poſteritatem: inuentione, inquam, & conſtitutione, ſi non integræ ac totius methodi, ſaltem præcipuorum nonnullorum, & valde neceſſariorum præceptorum. Secundò in conſideratione viſionum & oraculorum diuinorum: Tertiò in dexteritate docendi filios, nepotes, poſteros. Quartò denique, quod eſt præcipuum, in indagatione & inuentione diſciplinarum realium Aſtronomiæ, Geometriæ, Arithmeticæ, & Phyſicæ. Quod quidem inueniendi exercitium, inter omnia exercitia Logica maximè omnium diuinum eſt, & plane heroicum, quod heroico iſti mundi ſeculo etiam conueniebat: inuenire enim tantum eſt ſapientiſſimorum, inuentis autem facile eſt addere, inquit Philoſophus 1. Metaphyſ. capite primo, & cap. vltimo Organi: & priori quidem illo loco. 1. Metaph. monet primis diſciplinarum inuentoribus maximum deberi honorem atque reuerentiam, etiamſi diſciplinas ad conſummatam quandam methodum non perduxerint, ſed poſteris etiam ingenij exercendi & quærendæ glo-

riæ

riæ materiam reliquerim. Atque ex hac ætate primorum parentum ac Patriarcharum, inprimis autem ex familia Abrahami, vt Iosephus testatur, exercitia Logicæ & disciplinarum penè omnium constitutiones propagatæ sunt ad vicinas gentes, nempe Ægyptios ac Phœnices, à quibus deinde in Græciam & Italiam, quasi quodam mercimonio deuectæ sunt. Et hoc quidem primæ ætatis logicum exercitium, quod quatuor membris descriptum est, inprimis adiuuit & promouit longæuitas, quam hac de causa etiam Adamo & eius posteris ad duo millia annorum Deus tribuit, vt in rerum cælestium ac naturalium contẽplatione tam diu occupati viri firmissimę valetudinis, posteris honestas disciplinas diuturnâ indagatione atq; experientia constitutas relinquerent. Post hanc verò ętatem & corpora hominũ facta sunt imbecilliora, & vita breuior, & ingenia tardiora, & iudicium languidius, & memoria denique infirmior, fuerunt interim & vegetiores omnino homines, quam nunc sunt, & exercitia Logicæ artis non contemnenda, non quidem apud multas gentes, quas tenebrosa tunc barbaries plerisque in regionibus adhuc detinebat, sed in populo Dei, & inprimis in collegio Sacerdotum: his enim Deus commendauit Vrim ac Tummim, id est, perspicuitatem & veritatem: sic enim interpretor pectorale illud & λογεῖον, quod Aroni diuinitus fuit commendatum & traditum, sequutus in eo Philonem, qui *Vrim* interpretatur Σαφηνείαν, *Tummim* autem exponit ἀλήθειαν, nec iam disputo prolixius de hisce vocabulis, quæ extant Exodi 28. vtpote quæ ipsi Iudæi fatentur se penitus explicare non posse: interim probabile est commendasse Deum sacerdotibus duo illa maxima effecta Logicæ exercitationis, nimirum perspicuitatem & ordinem, docendo atque explicando verbum Dei, deinde veritatem in oraculis diuinis patefaciendis: Et quidem cum Sacerdotes & Leuitæ in populo Dei scholas erigerent ac regerent, dubium esse non potest, quin & Logicam tradiderint, & acceptis à maioribus artificijs excoluerint atque explicarint: quin etiam, quæ à maioribus nondum erant tradita de rebus cœlestibus, naturalibus & mathematicis, ea illos logico

acumine præditos porrò adinuenisse & addidisse. Atq; idem etiam de posteritatibus scholis iudicandum, quas in populo Dei instituerunt Prophetæ, qui non tantum naturali & artificiali Logica, sed extraordinaria etiam atque immediata Spiritus sancti illuminatione ornati fuerunt. Inprimis autem non prætereundũ fuerit, quod Scriptura disertè testatur de Salomone, qui vixit circa annum mundi bis millesimum nongentesimum tricesimum, cum nimirum inter omnes homines, rerum cognitione ac sapientia excelluisse: nam 1. Regum capite 4. dicitur: *Deus indidit sapientiam Salomoni & intelligentiæ multum secundum multitudinem arenæ maris*, & valde memorabile est quod ibidem Scriptura comparationem instituit inter Salomonem & Philosophos, qui in Ægypto, India, & reliquis Orientis partibus, tum temporis, vsu Logicæ & omni philosophica cognitione excelluerunt: *erat*, inquit Scriptura, *sapientia Salomonis maior quàm sapientia filiorum Orientis, & omnis sapientia Ægyptiorum, & erat sapientior omnibus hominibus, Ethan, Ezrach, Homach, Calcol, & Dadha*: quin & diserte fit mentio Logici actus, qui inter præcipuos numeratur, disputationis nimirum, & solutionis quæstionum acutissimarum atque ænigmaticarum, in quas sese exercuerit Salomon cum Tyrijs, qui tum disputationis laude & acumine, in proponendis solvendisque ænigmatibus præ alijs populis excellebant, vt & cum Regina Æthiopiæ, in qua singularem ingenij vim Scriptura commendat. Sed iam & Ethnicos circumspiciamus, inter quos adnotandum est vetusta memoria Pythagoræ, cuius schola intulit in animum mundi ter millesimum quadringentesimum: is quidem vsum Logicæ aliquem habuit in definiendo, vt testatur Aristoteles 13. Metaph. capite 4. & in disciplinis mathematicis adornandis; sed interim præcipuæ Logici vsus partes ei defuerunt, inprimis verò magnum illud Logicum artificium, quo cauetur μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, id est, *transitus in aliud genus*, & quo disciplinarum fines & termini distinguuntur, & principia ita accuratè discernuntur, ne vnius disciplinæ conclusio probetur ex alterius disciplinæ medio termino: quem quidem vsus Logici neglectum & pœni-

pœnitendam ignorantiam Pythagoræ obijcit Ariſtoteles 3. De cælo, cap. 1. & 7. & alijs in locis. Pythagoræ diſcipulus fuit Archytas Tarentinus, qui peritiæ ſuæ Logicæ memorabile ſpecimen poſteritati reliquit in diſtinguendis decem Prædicamentis, quorum vſum & ipſe optimè callut, & alijs communicauit. Proximè ab his Socratem & Platonem nominabimus, qui floruit ſub annum mundi ter milleſimum quingenteſimum. Et fuit his vſus Logicæ mediocris, & primo in diuidendo, vt apparet ex aliquot Dialogis Platonis, & inprimis ex Phædro, vbi poſt datum diuiſionis ſpecimen, Socrates magnifico admodum encomio hoc inſtrumentum Logicum deprædicat: ſed & hoc ipſum inſtrumentum nondum huſce viris accuratum & expolitum fuit, quin & ad abuſum detortum, vt Ariſtoteles in prioribus Analyticis notauit, oſtendens Platonem de diuiſione ita ſenſiſſe, quod ſit ſyllogiſmus neceſſario aliquid probans, cum tamen ad apprehenſionem ſimplicium, atque ita ad explicationem, non ad probationem ea ſit comparata, vt liber primus Syſtematis, ſectione poſteriori capitis tertij, docet. Definiendi etiam aliquem vſum Socrates & Plato habuerunt, quod teſtimonium Ariſtoteles eis perhibet libro decimotertio Metaphyſ. capite quarto. Sed & is vſus minutus fuit, planeque imbecillis, ſi cum accurata definitionum doctrina atque exercitatione quam in Ariſtotele obſeruamus, comparetur: Etenim in vniuerſis ſcriptis Platonicis vix vllam licet videre vllius rei plenam abſolutamque definitionem, & in iſto libello, qui Platonis operibus addi ſolet, ac vulgo inſcribitur *Liber definitionum Speuſippi*, qui fuit Platonis nepos, meræ ſunt deſcriptiones, aut nominum ſaltem explicationes exotericæ & metaphoricæ. Inductionis etiam artificium Socrati tribuit Ariſtoteles prædicto capite decimotertio Metaphyſic. & certum eſt in eo Socratem & ingenioſum & efficacem fuiſſe diſputatorem, quod ex inductis ſingularibus vniuerſales theſes potuerit extruere: habuit etiam diſputationis certum quoddam genus, familiare magis, quàm accuratum, vbi ſtatu controuerſiæ ſæpe diſſimulato, ex principijs quibuſdam communibus, & ex nominum notatio-

rationibus ſeu Etymologijs inueſtigare conatur quæſtionum Philoſophicarum veritatem, & ſæpe magis in producendis autoritatibus, quàm ponderandis argumentis ſub Socratis perſona occupatur. Itaque in vſu Logicæ multum certè ſchola Socratis ac Platonis videtur defeciſſe, præſertim quod exotericum docendi ac diſputandi genus, ac populi rē quandam viam perpetuo tenuit, ſimilitudinibus & metaphoris delectatus, & frequentem generis in genus tranſitum committens, Pythagoram in eo ſecuta, qui res Phyſicas, Ethicas, & Politicas terminis Arithmeticis explicare ac probare ſolebat. Id autem vel maximè in ſcriptis Platonicis excellētes quique viri deſiderant; quod etſi quidē in Philebo & alibi vtilia nonnunquam methodi præcepta inſpergat, nullum tamen vllius diſciplinæ corpus plenè ac methodicè diſpoſuit, atque omnibus ſuis partibus & membris abſoluit, quod iudicium de ſummo aliàs viro, ne noſtrum eſſe videatur, aut temerariè dictum, grauiſſimorum autorum loca citabo. Sic enim magnus ille Scaliger libro 1. de Plantis, pag. 88. iudicat, inquiens, *diuinum equidem vtrumque ſemper exiſtimaui, & Platonem & Ariſtotelem: illum tamen qua inuenſſet autoritate ſola tanquam bonum virum; hunc nihil ſine ratione quaſi acerrimum iudicem ſtatuiſſe.* Audiamus & lumen illud diſciplinarum Philippum Melanchthonem, qui ſapientiſſimè certe de ſcriptis Platonicis iudicat tomo primo declamat. in vita Platonis: *Primum*, inquit, *illud conſtat, Platonem non ſcripſiſſe ordine integras artes, ſed liberioribus diſputationibus alias de alio loco quid probaret, aut quid non probaret, oſtendiſſe. Multa etiam ſunt in ſcriptis hominis ingenioſi & eloquentis, qui naturâ fuit Σκεπτικὸς, ironica & figurata diſputationes.* Et paulò poſt: *Cum Plato eam, quam toties prædicat, methodum non ſæpe adhibeat, & exagetur liberius in diſputando, quædam etiam figuris inuoluat, & denique rarò pronunciet, quid ſit ſentiendum, affentior adoleſcentibus potius proponendum Ariſtotelem, qui artes, quas tradit, explicat integras.* Item alio loco, *Plane*, inquit, *ita ſentio, magnam doctrinarum confuſionē ſequutarum eſſe, ſi Ariſtoteles neglectus fuerit, qui vnus & ſolus eſt methodi artifex, nec alia ratione aſſuefieri ad methodum quiſquam poteſt, niſi inſigniter Philoſopha*

sophiæ Aristotelicæ exercitatus. Idem etiam grauissimis verbis docet libro 4. Dialecticæ, vbi sectas Philosophorum inter se comparat. Quocirca magnum hoc fuit Dei in humanum genus beneficium, quod Aristotelem excitauit principem & parentem tum artis, tum exercitationis Logicæ; qui quidem per singulas Logicæ partes artis vsum, singulari, quâ polluit dexteritate ac iudicio posteritati commonstrauit; Ac primo quidem vsum Logicæ in ipsa Logica ostendit, quam suis partibus plenam & methodicam adornauit, etsi talis ad nostra tempora, quod meritò dolemus, non peruenerit; extra Logicam autem in ipsis disciplinis realibus Logicam exercitationem ad summum fastigium perduxit. Nam simplicia themata, siue res Physicas, Ethicas & aliis disciplinis subiectas, accuratè explicuit, inuestigandis eorum generibus, indagandis causis, constituendis definitionibus, ac diuisionibus, cæterisque explicationum instrumentis, quæ prima pars Logicæ tradit, expediundis; vt meritò veteres ingenium Aristotelis hac laude ornarint, quod fuerit ἐρετικώτατον, φιλοκαθόλου, & denique αἰτιολογικώτατον; comprobant id inprimis libri physici, vt tractatio De loco, De eempore, libro quarto Physic. vbi nihil omittit instrumentorum Logicorum ad naturæ indagationem. Item cœli contemplatio per definitionem, partitionem & proprietates: inprimis autem admirabilis illa explicatio naturæ animalium, de qua primo in genere agit, postea species & partes animalium accuratâ methodo persequitur.

Quis & quantum Aristoteles in vsu Logicæ.

Quantum etiam in secunda parte Logicę, id est, in iudicanda & examinanda propositione potuerit, ingeniosus ille liber περὶ ἑρμηνείας testatur.

In tertia verò parte Logicę ingenium hominis supra est, quàm admirabile, siue tractationem problematum spectes, siue methodicam disciplinarum dispositionem consideres; etenim in disputationibus id primo omnium egit, vt status controuersię & sententiæ dissentientium constarent, postea argumenta ipsorum, quam posset speciocissimè in medium afferret, & allata solueret solide, suamque deinde sententiam acutis & firmis argumentis stabiliret, vt videre est in 1. Physic.

sic. vbi veterum Philosophorum de Naturalium rerum principijs sententias examinat; in sexto item libro capitis secundi, vbi contortas Zenonis argutias contra motum rerum naturalium sub examen exquisitę disputationis vocat: sic in libris quatuor De cælo disputationes leguntur ingeniosæ simul ac graues de Cælo, de Terræ quiete, de Elementis, de generatione. In primo De anima disputatio extat de animæ definitione, quam ex veteribus Philosophis, nemo rectam & accuratam reliquerat. In libro tertio Metaphysicorum disputatio est sanè peracuta & iudicij plena de fundamento veritatis contra Protagoram; alias, ne longus sim, omitto. Vbi autem aduersarium non habet, nihilominus thesin allatis in vtramque partem argumentis disputat pro affirmatiua, vt ita re per vtramque lancem ponderatâ, veritas & confirmatior & euidentior euadat. In methodo verò vsum Logicæ ita demonstrauit, vt qui cum eo ipso conferri possit, planè nullus reperiatur. Siquidem Philosophiæ partes omnes, teste Laërtio, ad artificiosas disputationes & systemata ita reuocauit, vt prima cum medijs, & media cum extremis artificiosè per transitionum vincula connectens, corpus Philosophię absolutum exstruxerit; cuius rei testimonium ipsius scripta luculentum perhibent, & audiuimus paulò ante testem fide dignum Philippum Melanchthonem. Partitionem etiam vsus Logici in γένεσιν & ἀνάλυσιν nemini certè debemus potius, quàm Aristoteli: etenim in prioribus Analyticis Aristoteli scopus fuit propositus, vt quia de abstracta syllogismorum forma illic præcipiendum erat, simul præceptis hisce vsum & exercitationem intersereret, ne doctrinæ traditio nimis videretur ieiuna; idcirco in primo libro totam doctrinæ summam duobus capitibus Philosophus dimetitur, ex quibus prius est de Genesi vsque ad caput 23. alterum autem de Analysi. Atque hanc etiam laudem vsus Logici ita perspicuè ad duo membra reuocari libenter Aristoteli tribuunt, & relinquunt ij, qui alioquin ab eius doctrina in plerisque multis diuortium fecerunt. Quocirca historiam hanc vsus Logici in Aristotele ita finiamus, vt profiteamur

profiteamur cum nos autorem & habere & ſequi in totius huius noſtri inſtituti ſummis, capitibus, ſimulque id commonefaciamus admirabile quoddam exercitationis Logicæ ſpecimen in ſcriptis Ariſtotelicis elucere, & eos, qui hæc cum attentione legunt præcepta & vſum artis imprimis alere ac ſuſtentare poſſe: vt enim eloquentia in nobis vehementer augetur cùm oratorem cum admiratione perorantem frequenter audimus, ita etiam experientiam artis Logicæ neceſſe eſt in nobis euidens incrementum capere, ſi ſummum eius artis autorem & magiſtrum, ſimul experientiſſimum exercitatorem in ſcriptis aſſiduè intueamur. Interim tamen hoc non diſſimulamus; noſtro hoc ævo vſum Logicum maiorem accepiſſe lucem à luce illa cæleſtis doctrinæ, & ſacræ diſciplinę Theologicæ quàm cum Ariſtot. ignorauit, mirum non eſt, ſi in ſacris reſoluendis voluminibus, inque graniſſimarum de controuerſijs fidei diſputationum materijs, ad id Logici vſus faſtigium peruenire non potuerit, quo nobis hodie licet diuinâ gratiâ pertingere. Etenim, vt in ſtadio decurrendo, quo latior & longior area fuerit, eò etiam currentium exercitatio & gloria exſiſtit maior; ita etiam hodiè, quo plures res inuentæ ſunt, & quo auctiores ſunt ſuperiores facultates, quæ ita vocantur, id eſt, *Iuriſprudentia, Medicina, & Theologia*; eò etiam artis Logicæ vſum & exercitationem neceſſe eſt eſſe tum ampliorem, tum glorioſiorem. Ariſtotele autem defuncto, etſi eius diſcipulus Theophraſtus vſum Logicæ ac Rhetoricæ pro virili in Lyceo vrſit ac prouexit; tamen neſcio quomodo factum ſit, quod non ita multis à Theophraſti annis Peripatetici diſcipuli Ariſtotelis à vi illa & efficacia Logicæ exercitationis multum degenerarint; & id potiſſimum egerint, vt poſſint Στάσιν ἀκωδίζειν, vt Strabo loquitur lib. 10 ad eſt, ducubrare themata quædam declamatoria, neglecto vſu Logicæ eo, qui ingenium & iudicium imprimis nutrit ac confirmat. Iam de Stoicis conſequens eſt, vt aliquid dicamus: de quibus Cicero apertè teſtatur iudicatricem Logicæ partem eos tantum eſſe perſequutos; & Ludouicus Viues lib. 3. de cauſis corruptarum artium

Quid Stoici in vſu Logicæ peccarint.

tium; *Spinosi*, inquit, *Stoici solam habuerunt doctrinam de argumentatione*: neglexerunt ergo explicationem ignotorum thematum simplicium, obscurorum declarationem & confusorum ordinationem, de eo potissimum solliciti, vt quæst. mouerent multas ethicas, nonnullas Physicas, plerasque tamen alias ad nullam disciplinam pertinentes, sed ad ingenij quandam inanem ostentationem & admirationem vulgi captandam; atq; has quidem quæst. spinosas non conati sunt argumentis necessarijs & euidentib. expedire, sed impedire potius & inuoluere per intricata quædam argumentationum genera, quib. comminiscendis intenti fuerunt; sic Eubulides Zenonis discipulus, qui petulantis cognomentum promeruit, excogitauit formam argumentandi, quam ψευδόμενον, id est, *mentientem*, & alteram, quam *latentem* vocauit, & alias duas, quarum vnam *Electram*, alteram *Caluam* nuncupauit, vt Laërtius testatur libr. 2. Deinde Chrysippus libros scripsit trecentos sexaginta & vnum, qui eiusmodi intricatarum quæstionum & argumentationum spinosarum pleni fuerunt, præceptorum interim parum continentes, atque ex huius schola enata sunt etiam mira alia argumentationum genera, vt αἰτιστρέφον, *Ceratine*, *Crocodilites*, *Vtis*, *Cacosystata*, & *Asystata*. Erat & alia argumentandi forma, quam θερίεσοντα, id est, *metentem* vocarunt; in qua cum quidam ex ea secta Dialecticus septem species ostendisset, rogauit quantum peteret mercedis à discipulis: poscenti centum nummos, dedit ducentos, vt narrat Laërtius libr. 4. cap. 1. vsque adeo cupidus fuit Zeno stropharum eiusmodi contortarum, quas ipse comparare solitus est mensuris neque triticum neque hordeum metientibus, sed paleas aut fimum; & Ariston Dialecticorum sermones araneorum telis contulit, vt quę subtiles quidem, sed inutiles essent; & idem, idcirco eos qui hisce strophis nimium dediti erant, similes esse aiebat edentibus cancros, qui propter exiguum alimentum, circa crustas plurimas distinentur, & similia plura iudicia referuntur à Stobęo, serm. 80. & 82. quę quidem nulli magis Logicę quam Stoicorum applicari debent; vnde & Philippus Melanchthon libr. 4. Dialecticę cum

de

de ſectis Philoſophorum agit, Stoicorum dialecticam *ſpinoſam nimis*, & idcirco vocat inutilem. Auguſtinus quidem lib. primo contra Creſconium cap. 13. de Stoicis ita ſentit, *Dialecticam apud eos maximè viguiſſe*, & c. 14. *Stoicos maximos Dialecticos fuiſſe*: ſed id ego non de tota arte, ſed de parte tantum ea, quæ in argumentando verſatur, & in qua ſubinde ij ſeſe exercuerunt, dixiſſe Auguſtinum crediderim: imo non tam quid fuerint Stoici dixiſſe, quàm quid videri voluerint. Hinc deinceps rectà ad Ciceronem Stoicorum in pleriſque ſectatorem tranſeamus; is etſi Ariſtotelica diligentiſſimè peruoluit, & Platonicis ſiue Academicis magnopere fuit deditus, neſcio tamen qui factum ſit, quod vir magnus in Dialectica tertiam tantum partem ſit perſequutus, & eam quidem non integram; ſiquidem de doctrina ordinis & methodi parum ſolicitus contra inuentionem medij termini & eiuſdem diſpoſitionem cum extremis, atque adeo circa locorum doctrinam inprimis operosè deſudauit. Id quod ex Top. eius manifeſtum eſt, & inprimis liquet ex partitione Logicæ in Inuentionem & Iudicium, quam Ariſtoteli quidem tribuit, ſed demonſtrare nunquam potuit, Ariſtotelem totam artem Logicam ita eſſe partitum, quin contra diſerte in Top. lib. 8. cap. 1. doctrinam ſyllogiſticam in inuentionem & diſpoſitionem medij Ariſtoteles diuiſit; cum ergo Cicero exiſtimaret totam ſe Logicam poſſidere in doctrina Syllogiſmi, ideo huius vſum atque exercitationem ſolam penè habuiſſe videtur, partim in Dialogis, more Platonico, ſicuti ex Dialogo de amicitia, & Academicis quæſtionibus apparet, partim in paradoxis Stoicorum conſuetudine ſcriptis: ſed inprimis totam artis vim ad exoterica, id eſt, vſum forenſem & oratoriam facultatem putauit applicandam; quę etiam cauſſa fuit cur tantopere ei artiſex it diuiſio illa in Inuentionem & Iudicium; vtpote quæ ad Rhetoricen & eloquentiam ſiue docendi facultatem eſt accommodata. Atque hac quidem Logicæ vſus exotericus circa oratoriam facultatem, Ciceronis autoritate atque exemplo diu perduxit. nec Quintilianus maximus Ciceronis admirator aliam Logicæ exercitationem videtur conſectatus.

Quid & quatenus Ciceroni tribuendum in arte Logica, & eius vſu.

ſectatus. Temporibus interim Traiani annis ſeptuaginta poſt Chriſtum natum, Plutarchus floruit; autor ſine controuerſia magnus & excellenti pollens iudicio, qui exercitationem Logicę habuit in explicandis grauiſſimis thematibus, quæ in moralibus tractauit, inque diſputationibus, quas arduas omnino & copioſas inſtituit. Galenus paulò poſt ſequutus eſt, qui Logicę vſum in materijs medicis occupauit, etſi accuratam tractationis methodum verborum prolixitate ſæpius inuoluat. Eius coætaneus fuit Alexander Aphrodiſeus, Themiſtius, Simplicius, & Philoponus, Græci Ariſtotelis interpretes, qui vſum Logicę exercuerunt in Analyſi ſciptorum Ariſtotelicorum, in explicandis obſcurioribus eiuſdem autoris pronunciatis, inque conciliandis ſententijs ſpecie quidam pugnantibus, & denique in rerum Logicarum & Phyſicarum diſputationibus ingeniosè diducendis; etſi fateor, eos vſum Logicæ in pleriſque multis nec oſtendiſſe, nec diſcipulis explicaſſe. Idem de *Seuerino Boethio*, qui primus fuit Latinus Ariſtotelis interpres, ſub annum Chriſti quingenteſimum, ſentiendum exiſtimarim, niſi quod hic Muſicam & alias nonnullas diſciplinas mathematicas methodico ſyſtemate tradens, vſum artis in diſpoſitione methodi exercere inſtituit, quod nec Plutarchus, nec etiam Græci Ariſtotelis interpretes feciſſe iudicantur ex ijs ſcriptis, quæ hodie extant. Auerroes Arabs, clariſſimus Ariſtotelis interpres, inter poſteriores numerandus, ſi annos ſpectes: floruit enim ſub annum Chriſti 1150. inter primos autem, ſi vim ingenij, ſi dexteritatem interpretandi loca obſcura, ſi denique vſum Logicæ in diſponenda Medicinæ & aliarum diſciplinarum accurata methodo. Sed ad Eccleſiaſticos ſcriptores & patres antiquæ Eccleſiæ nos conuertamus, inter quos Græci, vt *Iuſtinus Martyr*, *Athanaſius*, & alij Logicam exercuerunt præcipuè in diſputando: Iuſtinus quidem Martyr diſputationes inſtituit contra Ethnicos, Athanaſius contra Arrianos: de quo libet aſcribere iudicium Photi Patriarchæ Conſtantinopolitani, cuius Bibliothecam nuper clariſſimus *Hoſſelius* Auguſtæ edidit; is ergo ita inquit: Athanaſius

Logicis

Logicis methodis vſus eſt non tenuiter, vt pueri, nec iuueniliter, vt rudes ſolent, ſed Philoſophicè ac magnificè: vbi quidem per magnificentiam intelligi exiſtimo vim illam eloquentiæ, cui inprimis dediti fuerunt, non Athanaſius ſolum, ſed & Baſilius & Chryſoſtomus, ita vt Logicæ artis vſum in oratoria facultate inprimis etiam videantur poſuiſſe, quocirca etſi excellens fuit in hiſce viris acumen: Diuus tamen Auguſtinus iudicio & docendi dexteritate, id eſt, vero ſolidoque vſu Logicæ hiſce videtur præferendus, non meo iudicio tantum, quod nullum eſt, ſed præſtantiſſimorum quorumque virorum, & inprimis *Eraſmi Rotorodami*, qui in Præfatione ſupra opera Auguſtini ſub ipſum præfationis exordium exclamat; Quid habet orbis Chriſtianus hoc ſcriptore vel magis aureum vel auguſtius? Sunt alijs Patribus aliæ dotes. in Baſilio præter ſubtilitatem exoſculamur piam ac mitem ſuauiloquentiam. In huius ſodali Chryſoſtomo ſponte profluentem orationis copiam amplectimur. In Cypriano veneramur ſpiritum martyrio dignum. In Hilario grandi materiæ parem grandiloquentiam admiramur. In Ambroſio dulces quoſdam aculeos, & Epiſcopo dignam amamus verecundiam. In Hieronymo eruditionem ac dexteritatem ſingularem interpretandi Scripturas, quæ ad Logicæ artis vim etiam inprimis pertinent. Sed Diuus Auguſtinus etſi Eloquentiâ, eaque inprimis amabili non deſtituitur, Logicæ tamen artis vim atque exercitationem obtinet penitus admirabilem. Nam ſi primam artis partem ſpectes, in vocum examine ac diſtinctione inprimis eſt ſollicitus & induſtrius, inque rerum generibus inueſtigandis, definitionibus ac diuiſionibus texendis dexter, in proprietatibus rerum exquirendis ingenioſus, in cauſis inueſtigandis ſolers atque acutus, in rerum collationibus circumſpectus, inque oppoſitionibus perſpicax, idque apparet ex variis eius opuſculis, quibus themata ſimplicia ad Theologiam pertinentia, explicat, vt eſt thema de ordine, de vita beata, de immortalitate animæ, de libero arbitrio, quæ exſtant tomo primo, item de origine animarum, de contemtu mundi, de ſapientia Dei, quæ exſtant

Auguſtinus quatenus in vſu atque exercitatione Logicæ.

tomo ſecundo. De mendacio liber, qui extat tomo 4. & reliqui multi per diuerſos tomos libri ad exercitationem primæ partis Logicæ pertinentes. Secundam verò Logicæ partem vir magnus inprimis exercuit in explicandis Scripturæ locis, & conciliandis propoſitionibus in ſpeciem pugnantibus, cuius exercitationis manifeſta teſtimonia extant epiſtolâ 50. vbi tractat de variis Scripturæ locis explicandis; item in libris quatuor de doctrina Chriſtiana, qui extant tomo 3. & in quibus hoc inprimis agit, vt præcepta ſtudioſis Theologiæ adminiſtret, quibus poſſint Scripturæ loca dextrè explicare, itemque agit liber tertius de mirabilibus ſacræ Scripturæ. Libro autem de ſpiritu & litera, item libris quatuor de conſenſu Euangeliſtarum, quibus apparentes in Euangelica hiſtoria diſcrepantias inter ſeſe conciliat, extant tomo 8. & 9. libri eius argumenti plurimi, quibus eadem ſecundæ partis Logicæ exercitatio inprimis grauiter vrgetur. Tertia pars Logicæ exercitationem ſuam habet in diſputatione ac methodo, quâ vtraque ſummè excelluit Auguſtinus; nàm in diſputationibus ſubtilis eſt, iudicioſus, acris, & vrgens, planeque talis, qualem Apoſtolus vult eſſe Epiſcopum, potens nimirum ad docendum & redarguendum, id quod teſtantur libri tres, quibus iuuenis acerrimè conflixit cum Academicis; pro religione verò Chriſtiana contra Ethnicos ſolidiſſimè diſputat libris, quos inſcripſit *de Ciuitate Dei*; contra Arrianos item doctrinam de ſacroſancta Trinitate maſculè tuetur; tum doctrinam de peccati origine, deque gratia Dei contra Pelagianos euidentiſſimè ſimul ac ſolidiſſimè aſſeruit: Donatiſtas denique & Manichæos diſputando penitus deiecit ac profligauit. Id quod teſtabuntur omnes qui controuerſias Auguſtini tomo 5. & 6. deguſtarunt. In doctrina methodi quid potuerit, teſtantur libri eius didactici, quibus vel integras diſciplinas, vel diſciplinarum magnas partes ingenioſo ordine concinnauit, vt liber de Grammatica: item principia Dialecticæ & Rhetoricæ, nec non liber de decem categorijs, quibus addendi ſunt libri duo de ordine, & liber de Magiſtro, qui omnes vno eodemque tomo, primo nimirum extant: ſacroſanctę

verò

verò Theologiæ methodum adumbrauit in Enchiridio ad Laurentium, item in libro de fide ad Petrum Diaconum. Concludamus ergo præ omnibus ſcriptoribus Eccleſiaſticis vſum Logicæ artis inprimis habuiſſe D. Auguſtinum; nec poſſumraſſentiri Eraſmo; qui in præfatione operum Auguſtini ita videtur ſentire, quod non tam artificiali, quam naturali Dialectica Auguſtinus polluerit, & quod in Ariſtotele non magnopere ſit verſatus; id enim minus veriſimiliter dicitur de eo, qui Theutiſſium acutiſſimum Ariſtotelis interpretem præceptorem habuit, quod ipſe de ſe teſtatur in libro de decem Categorijs, quique etiam multa opuſcula dialectica conſcripſit, & denique qui ſectas admodum & cordatas artis Logicæ commendationes paſſim ſuis ſcriptis inſpergit, & artem etiam à calumnijs hominum imperitorum & maleuolorum viriliter defendit. Ex multis pauca tantum loca in medium citabo; libro ſecundo de ordine: *Ad religionis Chriſtianæ cognitionem, nemo*, inquit, *aſpirare debet ſine Dialectica.* Et libr. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 31. *Diſputationis diſciplina*, inquit, *ad omnia genera quæſtionum, quæ in literis ſanctis ſunt penetranda & diſſoluenda plurimum valet: tantum ibi cauenda eſt libido vincendi & puerilis quædam oſtentatio deſipiendi aduerſarium.* Sic lib. 1. contra Creſconium Grammaticum, cap. 13. inquit, *Quid eſt aliud Dialectica, quam peritia diſputandi, quod ideo aperiendum putaui; qui etiam ipſam odij cæci voluiſti, quaſi Chriſtiana non congruat veritati? & ideo me doctores veſtri velut hominem dialecticum fugiendum potius, quam refellendum cenſuerunt*, & quæ ſequuntur. Et cap. 10. *Hanc*, inquit, *artem, quam Dialecticam vocant, quæ nihil aliud docet, quam conſequentia demonſtrare, ſeu vera veris, ſeu falſa falſis, nunquam doctrina Chriſtiana reformidat, ſicut eam in Stoicis non formidauit Apoſtolus, quos ſecum conferre volentes non reſpuit.* Poſt Auguſtini tempora nihil in vſu atque exercitatione Logica memorabile & excellens narrare queo, niſi *Iohannis Damaſceni* operam, qui artis vſum oſtendit, tum in præceptis huius artis quadam parte methodicè diſpoſitis, tum etiam in libris eximijs de orthodoxa fide, in quibus pleraque Theologiæ capita magno ingenio & iudicio tractat, &

doctrinam inprimis de vnione duarum in Chriſto naturarum contra hæreticorum, atque adeo Monotheli-tarum ſolidis diſputationibus vindicauit; vixit autem annis à Chriſto nato ſeptingentis, quo tempore iam inualeſcere cœperunt tenebræ illæ Papatus & Antichriſtianiſmi, quæ poſtea orbem terrarum horribiliter obſcurarunt, præſertim ſub id tempus, quo *Scholaſticum* illud, quod vocant, *Theologiæ genus*, natum eſt; De quo, & quàtum eius authores Scholaſtici in vſu logicę præſtiterint, etiá hic in hiſtoria noſtra vſus Logici, monẽdum erit. Diſtingui ſolent Theologici ſcriptores in *Eccleſiaſticos & Scholaſticos*. Eccleſiaſticos vocamus eos, qui plerique publicis in Eccleſia functionibus adhibiti, libros vel dogmaticos vel hiſtoricos Eccleſiæ reliquerunt, quiue adeo vixerunt continuo ab Apoſtolorum temporibus annis mille centum & triginta. Qui verò deinceps ſequuti ſunt, homines monaſticæ vitæ dediti, & de Theologicis materijs in ſcholis docuerunt, & quæ docuerant, ſcripſis tradiderunt, eos recepta conſuetudine *Scholaſticos* vocamus. Hi ergo certo velut ordine conſtituto cœperunt ſub id tempus, quod ante nominaui, occaſione quadam datâ à Lothario ſecundo Imperatore, qui mandarat paſſim per imperium conſtitui viros doctos, qui prudentiam Iuris prælegendo ac diſputando docerent; qui cum maximum applauſum in ſcholis conſequerentur, æmulatione quadam incendebantur monachos, vt & ipſi in publicum prodirent Theologiam ex profeſſo tradituri. Sed ne Theologiæ ſimplicitate quadam ſuâ apud auditores vileſceret, & iuris profeſſione videretur inferior ac minus ſplendida, idcirco Philoſophica Theologicis miſcebant, & ad diſputationes ac quæſtiones ſubtiliores omnia reuocabant, quibus applauſum & admirationem auditorum profeſſioni Theologicæ conciliarent. Ac primò quidem extitit *Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis*, qui cum videret Iuriſperitos ius ſuum, id eſt, edicta imperatorum & reſponſa prudentum in certum corpus digeſſiſſe, ipſe quoq; hos æmulatus Theologicarũ materiarum ſummam ex patrum ſententijs & Pontificum decretis colligere aggreſſus, eamq; quatuor libris comprehendit.

De Scholaſticis.

De Lombardo.

prehendit. Quod ſtudium in genere ſuo & abſolutè conſideratum, magnam profectò laudem meretur: ſiquidem ante hunc Lombardum nemo ex Græcis aut Latinis patribus tanquam copiam locorum communium in vnum corpus comportauit, nec ipſe quidem Damaſcenus, qui in libris De orthodoxa fide multa ad locos communes Theologicos pertinentia omiſit, plura etiam ipſe Auguſtinus in ijs ſcriptis methodicis, quæ paulò ante allegauimus. Præter hanc diligentiam in Lombardo laudatur etiam acumen in quæſtionibus nonnullis grauiſſimis definiendis. Sed ſunt multa, in quibus à vero vſu Logicæ circa ſacram Theologiam longè abeſt Lombardus. Nam primò materias thematum Theologicorum non tractat plenè ſecundum inſtrumenta primæ partis Logicæ, ſed de ſingulis tantum ſcribit, quantum in Patribus legit, & id ipſum non eo, quo themata ſimplicia expedienda ſunt, ordine.

Secundę Logicæ partis vſum in explicandis ſententijs ac locis ſacræ Scripturæ non ita etiam magnum habuit. Circa tertiam partem id inprimis deſideratur, quod plura problemata & quæſtiones mouerit, quàm determinarit dextrè & ſolidè: quodque argumenta ἀπόδειξις, ducta ex teſtimonijs patrum, plerunque argumentis ex ipſa rei natura & diuina ſacrarum literarum autoritate depromptis videatur æquare. methodum eius & ordinem multi prædicant, vt quod libro primo agit *De Deo*: ſecundo, *De Creaturis*: tertio, *De Redemptore ac redemptione*: quarto, *De Sacramentis*: Quam laudem, ſi ita accipi velint, vt Lombardus celebrari debeat præ alijs, qui ante eum locorum Theologicorum methodum ſcripſerunt, equidem non morosè refragabor; ſin verò de methodo Theologię qualis eſſe debet, ſermo ſit, dicendum omnino eſt, Logicæ præcepta & legem homogenias & grauiter, & penè vbique à Lombardo violatam eſſe; nam præterquam quod multa omittit, quæ Theologiæ propria ſunt, etiam plurima admiſcet, quæ vel Metaphyſicæ vel Phyſicæ, vel Ethicæ ſunt propria, quod inprimis apparet ex lib. 2. qui pene totus eſt Phyſicus. Sed de hac re & de vera Theologiæ methodo, infra cognoſcetur vberius. Poſt Lombardum

aliquot annis Theologia ſcholaſtica in multo denſiores tenebras demerſa fuit, & vt fieri aſſolet, vno nimium dato incommodo, à vera methodo & forma tradendi Theologiam deflectum eſt magis ac magis; conſectæ ſunt inanium ac friuolarum quæſtionum infinitæ farragines, & Theologia penè tota in argutias quaſdam transformata, quæ nec Theologiæ, nec Philoſophiæ etiam vetæ ſpeciem aut imaginem ſaltem aliquam, nedum titulum aut nomen poſſunt tueri. Calamitas tamen hæc mitigata eſt nonnihil ab *Alberto Magno*, & eius diſcipulo *Thoma Aquinate* hominibus mirandi omnino ingenij atque acumiuis. Etenim *Thomas Aquinas* cum videret eos qui ante ſe proximè Theologiam docuiſſent, argutijs quibuſdam Philoſophiæ nomine venditis omnia contaminaſſe, in id operam dedit, vt pro viribus methodum Theologiæ reſtitueret; quocirca in prologo Summæ ſuæ grauiſſimè conqueritur, multos eſſe qui totam Philoſophiam cum Theologia commiſceant, quantum verò Thomas potuerit, & quinam Logicâ exercitatione potiſſimum valuerit, ita diſtinctè nobis recenſendum erit, vt interim quantum à Logicæ vſu idem abſtinuerit, minimè reticeamus.

Primum ergo felix admodum fuit & ingenioſus in inuendis pro vtraque quæſtionis parte dubitationibus, id quod ſcimus ab Ariſtotele multis in locis valde commendari: ſecundò in paranda mediorum terminorum ſiue argumentorum copia, pro ea parte, quam tueri volnit, plurimum etiam potuit; fuit etiam perſpicax in proprietatibus & effectibus rerum indagandis, inque cauſis inueniendis: ex ſecunda Logicæ parte vſum hunc obtinuit, quod obſcuriſſima Ariſtotelis loca etiam Græcæ linguæ peritiâ planè deſtitutus ſæpe feliciter eſt interpretatus. Ordinis verò ac methodi perquam fuit ſtudioſus: etſi non vbique ſtudij huius fructum eſt aſſecutus.

Vt verò hæc, quæ dixi, laudem merentur, ita ſunt alia non pauca, quæ reprehenſionem & animaduerſionem omninò poſtulant. Neque verò nunc dicam de dogmatibus eius compluribus, quæ cum verbo Dei manifeſtè pugnant, ſed ea tantum perſtringam,

gam, quæ arti Logicæ eiusque exercitationi aduersantur: vt quidem est primo, quod non explicatis simplicibus, properat ad composita: raro enim thema simplex distinctione nominis, definitione, ac diuisione integrè pertractat, sed id potissimum agit, vt controuersias & quæstiones magno numero accumulet: quin imo, vbi nulla est dubitandi ratio, excitat disputationem, quasi scilicet expediri res probè nequeat, nisi in problemata trahatur. Argumenta verò necessaria ex principijs Theologiæ vel non adhibet planè, vel loca Scripturæ minus appositè, sæpe etiam ineptè allegat.

Deinde conclusiones purè Theologicas transformat in mixtas, atque ita transitum de genere in genus sæpe committens, Metaphysica, Physica, & Ethica cum Theologicis confundit; quod tamen ipse in ijs, qui ante eum Scholastici vixerunt, reprehendit, vt paulo ante ex prologo citauimus. Methodum verò, etsi quidem in Summa suis videatur voluisse accuratam consectari, assecutus tamen non est, sed tum heterogeneâ, ac confusione disciplinarum, tum etiam mutatione nonnullarum maximè necessariarum in Theologia materiarum graniter sæpe peccat: nam Summa Thomæ tam celebris & laudata ob methodum diuiditur ab eius discipulis & commentatoribus in tres partes, ex quibus prima dicitur *Naturalis*, quæ agit de natura Dei & creaturarum: altera *Moralis*, quæ de virtutibus & vitijs agit: tertia denique *Sacramentalis*, quæ de Sacramentis tractat: hæc partitio Theologiæ quantùm absit à vera accurataque huius disciplinæ methodo, ex ijs apparebit, quæ infra, volente Deo, de Systemate Theologico tradentur.

Atque hæc quidem in scriptis Thomæ vitia non emendarunt discipuli eius, sed tum autoritate viri fascinati, tum etiam peculiari quadam sui seculi calamitate auxerunt; ita vt occasionem dederint summis viris Theologiam Scholasticam acerbè agitandi, vt videre est in *Laude* Erasmi, in Præfatione super Hilarium, in Paraphrasi Epistolarum Pauli ad Timotheum. Lutherus etiam in libro aduersus Latomum, tum alibi valde in-

uehitur in Thomam Aquinatem, & totam Scholasticam doctrinam: *Philippus Melanchthon* itidem etsi suam ingenijs scholasticorum laudem relinquit, abstinere tamen non potuit, quin in Apologia contra Theologos Parisienses corruptelas Scholasticæ Theologiæ seuerius increparet: & *Antonius Sadeel* in Præfatione suorum operum, quam de methodo Theologiæ scripsit, multa in eadem Theologia animaduersione acrioti perstringit. Atque his, quæ de vsu Logicæ circa Theologiam violato diximus, vnum etiam addam de vsu Logicæ in ipsa Logica depravato; id quod potissimum pertinebit ad Thomæ discipulos, & Scoti sectatores, qui nostris temporibus propiores fuerunt. Hi enim etsi multa in Logicis vtilia tradiderint, tamen & multa habent friuola admodum, puerilia & ad artis dedecus atque infamiam pertinentia; ex quorum numero illud est, quod putarint exercitationem artis non tam in disciplinis realibus extra artem, quam in ipsa arte quærendam esse: hinc nimirum tot inanes circa præcepta Logica quæstiunculæ, hinc *pene* ille, quem vocant *Asinorum*, doctrina nimirum de inuentione medij termini non fallax solum, sed & spinosa nimis atq; intricata; hinc etiam doctrina de exponibilibus, de insolubilibus, de obligationibus & id genus alijs portentis ac spectris, quibus ingenia adolescentum credebant mirificè acui atq; exerceri in Logica posse. Quam quidem tum artis, tum vsus, qui ex arte expectandus erat, corruptelam & abusum summum, seuera animaduersione notarunt præstantissimi superiorum temporum viri, vt Ludouicus Viues in libro De corrupta Dialectica, Philippus Melanchthon, Petrus Ramus, & complures alij. Quin & ipsi Pontificij rei indignitatem ferre non poterunt, vt inter alios nobis in medium producendus est vir disertus Melchior Canus, qui libro octauo locorum Theologicorum, vbi de Scholastica Theologia agit; capit. 1. ita inquit: *Efficitur quod ego magno cum assensu omnium dicere me video, miseram esse scholasticorum, quæ se titulo magistrij defendat: miseram etiam quæ de tractâ Scriptura sacra authoritate syllogismis contextis de rebus diuinis philosophatur*, & quæ sequuntur. Item lib. 9. cap.

9.cap.1. grauiſſimam inſtituens de Eccleſiæ Romanæ iactura, querelam, ita inquit: *Egit id Diabolus, quod ſine lacrymis non queo dicere, vt, quo tempore aduerſum ingruentes hæreſes in Germania oportebat Scholæ Theologos optimis eſſe armis inſtructos, nihil prorſus haberent; non arundines longas, leuia puerorum arma*; & paulò pòſt inquit: *Si non intelligere, quid cauſſæ fuerit, vt ſub Dialectica nomine expunibiles, obligationes inſolubiles, aliaque id genus monſtra in ſcholam intulerint; de vſu autem Dialectica non fecerint, ne verbum quidem vllum; cum tamen vel ipſi pueri intelligant, eiuſmodi ſophiſmatum breuem quendam ludum eſſe oportere, & alium quendam vſum à Dialectica requirendum, Philoſophiæ & Theologiæ maxime neceſſarium.* Et Petrus Fonſeca in commentarijs ſuis ad ſecundum Metaph. cap. 3. queſt. 4. ſect. 3. *Inter alia*, inquit, *quæ Logicam faciunt obſcuram & inuiſam multis, id quoque eſt, quod à pleriſque nimia exercitatio Dialectica in ipſa materia Dialectica ponatur: hinc tam multa, tamque ſpinoſa naſcuntur ſophiſmata, vt ingenia potius lacerent, quam doctrinæ fructu reſtant robuſtiora*, &c.

Atque hæc non idcirco hoc loco dixi, quod velim ſtudioſos Theologiæ vel Logicæ à Scholaſticorum lectione deterrere, quod nonnulli delicati homines hodie factitant: ſed potius vt rationem oſtendam, quo cum fructu Scholaſtici legi poſſint, vt certè poſſunt ab ijs, qui ſinceriori doctrinâ Logicæ & Philoſophiæ inſtructi ad eos accedunt; hi enim iſta lectione ingenium cutius & ſubtilius efficient, facultatem diſputandi ſibi ſingularem comparabunt, & repericnt copiam argumentorum in multis ingenioſis atque vtilib. quæſtionibus; quin & iſta ſcholaſticorum in paranda argumentorum copia imitatione id conſequentur, vt quoties in vtramq; partem aliquid vel dicendum vel ſcribendum eſt, argumenta reperiant & expediant. Quod ne ex meo tantum iudicio dicere videar, magnorum virorum teſtimonia allegabo. Ac primo quidem quod ad Thomam attinet, eum Ludouicus vocat *doctiſſimum omnium ſcriptorum de Schola*, & Eraſm. Roterodamus in Eccleſiaſte, & in libello de ſtudio Theologiæ commendat tanquam *autorem minime ineptum in dicendo*, &,

virum

virum non sui seculi; Et est omnino ita, vt Erasmus iudicat, Thomam nimirum & alios aliquot Sholasticos, non ita esse barbaros, vt vulgus existimat; habent enim genus loquendi Philosophicis studijs accommodatum; verba ac terminos ad formandum iudicium aptos, & intellectui magis quàm sensui conuenientes: quia abstinent a verbis sesquipedalibus, & translationibus vocabulorum, ac fucatis oratoriarum declamationum pigmentis, quæ plurimum solent officere accuratè rerum considerationi, vt præclarè monet Scaliger exercit. 307. distin. 20. *Rationibus*, inquit, *agendum est viro veritatis studioso, non Tullianis Platonicisq; pigmentis: declamationes, enim ambitiosorum opera, otiosorum cibi sunt: natura diuinitatisque negotijs impedito animo, studendum est breuitati, quæ res æquet verbis.* Atque hæc etiam non exigua est particula Logici vsus, vt nimirum rebus alioquin difficilibus & obscuris verba aptentur simplicia, &, vt ita dicam, sicca, quæ animum quam maximè à sensibus abstrahant. Id quod in Scholasticis etiam laudat Picus Mirandulanus in Epistol. ad Hermolaum Barbarum, vbi scribit, *se ita delectari Scholasticis, vt totum sexennium in eorum lectione sit versatus.* Sixtus Senensis in Bibliotheca sacra, pagina 368. etsi se intemperantius effundit in laudes Thomæ & Scholasticorum; tamen commune illud quasi prouerbium de Thoma recitat nobis hoc loco commemorandum; *Thomas quatuor inter sese, implacabiliter pugnantia indissolubiliter coniunxit, eoriam, breuitatem, perspicuitatem, obscuritatem.* Quod sic accipio, Thomam multas res obscuras verbis perspicuis ita explicasse, vt nihil dicat superfluum. Iulius Scaliger honestissimè etiam sensit de Scholasticis. Nam exercitatione 249. sectione 5. velut quosdam sapientiæ Patres eos allegat, & exercit. 324. section. vnica, *Iohannem Dunt vocat limam veritatis; & Iohannem Schwissetam calculatorem ait pene modum humani ingenij excessisse: & Occami ingenium ingenia omnia vetera subuertisse*: simile iudicium extat exercit. 340. vbi ait, *Calculatorem & dignum fuisse, quem neque senium senem fecisset, neque naturæ lex vita priuasset.* Iacobus Schegkius commentario primo. Topicorum:

Scholastici,

Scholaſtici, inquit, *ſummi Philoſophi fuerunt, a quorum lectione noſtri temporis Logodædali valde abhorrent*: quaſi verò nobis tantum procudenda ſit lingua elegantiâ & ornatu ſermonis, non etiam intellectus ſtudio acrioris Philoſophiæ acuendus. Et hæc quidem de Scholaſticis dixiſſe, ſufficiant; quorum doctrina atque exercitatio 400. amplius annis Scholis & Academias totius Europæ poſſedit, magno ſanè discrimine, præſertim poſtremis illis, quæ ſeculo noſtro proxima fuerunt, temporibus, vbi quidem magnas doctrinæ Theologicæ & Philoſophicæ tenebras inualuiſſe certum eſt: dum tandem ante annos circiter centum Deus Europam clementer reſpexit, & linguarum atque artium ſtudia è tenebris ad lucem reuocauit, vt lux Euangelij poſtmodum clariùs & per Germaniam & alias prouincias ſpargi poſſet. Certum enim eſt, Logicam eſſe velut Auroram quandam, quæ denuncietur exortus, & lux ſplendidior cœleſtis illius ſolis, ſacræ nimirum Theologiæ, quam cum Deus vellet auorum noſtrorũ temporibus priſtinæ ſuæ integritati, qualis Apoſtolicis temporibus erat, reſtituere, excitauit viros linguarum peritos & ingenio ſummo præditos, qui natiuum & verum Logicæ vſum Scholis & Eccleſijs oſtenderunt, quales fuerunt Ludouicus Viues, qui ſcriptis de corrupta Logica & tota Philoſophia libris, iudicio & eruditione plenis, multorum ingenia ad cogitationes de vera Logicæ exercitatione ſuſcipiendas excitauit. Et iuuit eodem tempore, atque ornauit prouinciam hanc magnus ille Eraſmus Roterodamus, ſed inprimis ante omnes laudem reformatarum diſciplinarum omnium & accenſæ per ſcholas Logicæ facis atque lucis laudem meretur *Philippus Melanthon*, ſummus ęquè Philoſophus ac Theologus. Excitauit autem Melanchthonem peculiaris aliquis inſtinctus ad iſtam, de qua dixi, diſciplinarum reformationem, & addidit ei Deus ac conceſſit præclaras ad eam rem occaſiones, & varia excitamenta: primò quidem fidelem admodum Præceptorem ac ducem *Iohannem Reiblinum*, qui ei autor fuit & adiutor diſcendę Græcę linguę, & ſtudioſè euoluendi Ariſtotelis, atq; aliorum Philoſophorum

ſophorum Græcorum; mox vbi Wittebergam deuenit, calcar ei addidit Lutherus, in quo ingenium acre admodum & dextrum, quiq; Melanchthonem ſepe ad colloquia, quę cum aduerſarijs habuit, adduxit: Sed & annis deinde ſeqq. Melanchthoni ipſi congrediendum fuit cum Pontificis ſophiſtis, qui eius ingenium conflictu illo mirificè acuerunt, quod ipſe non ſemel poſtea profeſſus eſt quid ſit Logicam didiciſſe, ſeſe in congreſſ. & diſputat. cum Pontificijs habitis, vt certè in colloquio Haganoenſi, Ratisbonenſi, & alijs cum verſutis admodum & lubricis ſophiſtis fuit conflictandum: Sed & hoc exercitationem artis Logicæ in Melanchthone mirificè aluit ac confirmauit, quod aggreſſus eſt ſcribere plenas methodos ſiue ſyſtemata tum Theologiæ, tum etiam Phyſicæ, Ethicæ, Rhetoricæ, & ipſius etiam Logicæ; in qua quidem Logica id per omnes ferè paginas vnicè agit, vt præcepta illuſtret exemplis Theologicis, earumq; materiarum quæ & graues ſunt, & in controuerſiam à Sophiſtis & hæreticis trahuntur; hinc nimirum in præfat. ſuæ Dialecticæ, quas diuerſo tempore præfixit ad vſum atq; exercitationē artis, in ſacra præſertim Theologia, grauiſſimis admonitionibus iuuentutē ſubinde cohortatur; *Meditata*, inquit, *ingenia cohortor, & propter Dei gloriam atque Eccleſiæ ſalutem obteſtor: ne Dialecticen negligant, ne applaudant inſulſis ſermonibus eorum, qui eam Eccleſiæ inutilem eſſe clamitant*: item, *Dialectica opus eſt non tantum vt doctrina lucem habeat, ſed etiam, vt ſit concordiæ vinculum* &c. *Joachimus Camerarius* in vita Melanchthonis multa recitat planè illuſtria ſpecimina excellentis ac heroicæ exercitationis in arte Logica, quæ in Philippo Melanchthone fuerunt ſpectata, nunc breuitatis cauſa reticenda. Excitauit autem Deus tum eodem tempore, tum etiam ſequentibus deinceps annis viros præſtantes, qui Melanchthonis exemplo ſtimulati vſum Logicæ magis ac magis illuſtrarunt. Inter quos *Iodocus Willichius*, *Johannes Sturmius* numerari debent; ſed inprimis ij nobis celebrandi ſunt, qui artis vſum ad illuſtrationem doctrinæ Euangelicæ ſiue Theologiæ ſacræ conuerterunt, vt fuit præter Lutherum & Zwinglium, *Oecolampadius*,

padius, *Capito*, *Bucerus*, *Bullingerus*, *Iohannes Caluinus*, & plures alij, quorum vestigijs insistentes summi deinde in Philosophia ac Theologia viri, artis vim ad excellens quoddam fastigium perduxerunt, nostrisque temporibus lucem arti Logicæ è luce cælesti accenderunt, vt olim de Prometheo vetustas pronunciauit; Inter hos præcipui sunt *Petrus Martyr*, *Zacharias Vrsinus*, *Ant. Sadeel*, *Hieronymus Zanchius*, *Iunius*, *Whittakerus*, *Danæus*, qui ob summam Logicę artis peritiam & disputandi vim ac facultatem Arrianis, Pontificijs & Vbiquitarijs formidabiles extiterunt. Nimirum nullo vnquam tempore maior occasio affulsit artis Logicæ in summis materijs exercendæ, atque hoc ipso nostro, vbi sacra Theologia quotidie illustrior redditur, & interim nouæ disputationes à cæcis & peruicacibus ingenijs mouentur, quibus artis Logicæ armis est resistendum. Et facit omnino magnam iniuriam Euangelicarum Ecclesiarum Theologijs *Melchior Canus* lib. 9. Locorum communium, c. 3. dum inquit, *eos esse homines stupidos, & ab omni Logica & Philosophia alienos.* Sed bene est, quod hanc fastuosi Hispani calumniam, Theologorum nostrorum scripta manifestissimè reuellunt, in quibus per Dei gratiam maius acumen disputandi, maior dexteritas resoluendi atq; explicandi Scripturę loca, & deniq; illustrior ac concinnior methodus & ordo conspicitur, quam in scriptis Pontificiorum, & etiam ipsorum Iesuitarum. qui etsi Logicæ ac Philosophiæ famam passim & opinionem de se concitarint, certum tamen est, eos à dextra philosophandi ratione & genuino & expedito Logicæ vsu longè adhuc abesse, quod suo loco haud difficiliter ostendemus. Porrò inter eos, qui nomen ac famam hoc nostro seculo ob Logicæ vsum illustratum consecuti sunt, celebris est apud Germanos præsertim, *Petrus Ramus*: de quo ita omnino semper sensi, vt de viro erecti atq; excelsi ingenij, qui magnum methodi atque ordinis in omnib. disciplinis zelum ac studium præ se tulit; quiq; meritò haberi debeat & mathematicus excellens, & orator tantus, vt cum quouis veterum in eo genere certare posse videatur: inprimis autem laudabile in eo est institutum tuendæ legis de homogenia,

Quid & quatenus P. Ramo ob Logicæ vsum debeatur.

neia, & proprietate præceptorum per omnes disciplinas: quam etsi non vbique, in multis tamen constanter obseruauit & asseruit. At verò quid in tota eius philosophandi ratione, inque artis Logicæ Systemate desiderem ipse, & multi mecum per Italiam, Galliam, & Germaniam viri præstantes, id in *Præcognitis Logicis* non dissimulaui. Nunc id perspicuè ac breuiter indicabo, in quænam Rami de vsu Logicæ præcepta ac meditationes peccare mihi atque aberrare videantur.

Primò, etsi Ramus in sua Logica nihil tradat, paucissimis exceptis, quod non ad vsum manifestum atque euidentem conducat, tamen non omnia tradit, sed plurima omittit, quæ ad necessarium in grauissimis materijs tum Philosophicis, tum inprimis Theologicis vsum atque exercitationem requiruntur. Partitus quidem est ex doctrina Aristotelis vsum Logicæ in *χρῆσιν & ἀνάλυσιν*; sed hæc tantum ad generalem vsus Logici designationem pertinent; particulares interim vsus particularium in arte præceptorum ac canonum sub hac generali Genesi ac analysi non ita ostendi possunt; quia ad exempla pertinent, quæ suis quæque præceptis sigillatim adduntur, vt post plenius intelligetur, vbi monstrabimus, quid intersit inter vniuersalem ac particularem Logicæ vsum. Alterum, quod in traditionibus Rami desideramus, est, quod Genesin & Analysin mutilè & imperfectè ostenderit, & contra legem methodi hæc duo membra summa vsus Logicæ ad specialia non deduxerit; sicut enim tres partes sunt Logicæ, ita tres sunt diuersæ species *χρήσεως* atque *ἀναλύσεως*: quarum aliquot quidem Ramei posteriores persequuntur, sed complures omittunt plenam tractationem simplicis thematis, itemque plenas admonitiones de ratione disputandi, de ratione docendi, discendi, methodos ac Systemata disciplinarum constituendi, locos communes colligendi, quę omnia certè ad plenam vsus Logici demonstrationem necessariò pertinent. Præterea & vsum Logicæ in ijs tantum studijs Ramus ostendit, quæ ad sensum & effectus, atque adeo ad delectationem & captum populatem referuntur, in scriptis Oratorum & Poëtarum. At verò duę sunt præcipuè hominis

minis functiones, Intellectus & Appetitus: & duo sunt disciplinarum atque authorum genera: vnum, quod ad puram mentem & intellectum pertinet: Et in hoc vsus Logicæ præcipuè vt elucet, ita ostendi debet; Siquidem Logica ingenij & mentis, non sensuum & appetitus est ars; alterum verò genus disciplinarum & authorum non primario, nec per se, sed secundario tantum ad artem & vsum Logicum pertinet, atque ex isto præposteto Poëtarum & Oratorum studio magnum hoc incommodum accedit, quod Petrus Ramus perpetuò circa popularia eiusmodi exempla occupatus, vsum Logicæ neglexerit ostendere imaginibus & exemplis eiusmodi, quæ ætatis nostræ conditio, imo necessitas etiam ipsa exigit, materiarum dico Theologicarum, quas ne vnico quidem exemplo in sua Dialectica Ramus illustrat: Et licet id eius sectatores nonnulli in Ramo reprehenderint, atque adeo etiam emendarint, vsu nimirum Logico ad Theologicas materias accommodato: tamen haud satis feliciter id præstitisse videntur, cum Præcepta ipsa Logicę qualia à Ramo sunt tradita, ad eã rem minimè sufficiant; & cum præcepta quæ ad iudicium subtiliorum & grauiorum materiarum Theologicarum inprimis pertinent, Ramus breuitatis affectione maxima parte præterierit. Denique & hoc inprimis desidero, ac reprehensione dignum iudico, quod Ramus vsum Logicæ ac Rhetoricæ inter se confuderit, dum harum disciplinarum Obiecta suis limitibus non discriminauit, id est, intellectum ab appetitu non distinxit; atque adeo ea, quæ appetitus propria sunt, nimirum amplificationes, siue exaggerationes cum explicationibus & probationibus confudit, omnia nimirum ista ad artis Logicæ vsum pertrahens. Quod etiam dictum velim de Dispositione; quæ, cum duplex sit, vna, quæ ad purum intellectum relata tantum docet; altera quæ ad mouendos affectus apta, partes Orationis concinnat ad persuadendum, siue ad actionis alicuius impulsum: Ramus vtramque in vsu Logicæ putauit esse exercendam, intellectum siue rationem cum affectibus, & Logicam cum Rhetorica confundens. Atque hæc sunt, quæ in Rami doctri-

na existimo vsum atque exercitationem Logicæ non parum impedire & obscurare, solius veritatis studio & candido plane proposito à me in medium adducta. Sunt nonnulla alia, quæ hoc seculo nostro vsum Logicæ vehementer retardant, quæq; hoc loco dissimulanda non videntur. Audias enim nonnullos, qui dicant artem & vsum Logicum in Theologia pernicioſum esse & vetitum; quorum hominum deplorandam ignorantiam & stuporem, quem publico & communi multorum stupore cõsolari satagunt, alibi vberius deteximus. Sunt alij, qui concedunt quidem vsum Logicæ in Theologia quærendum esse, sed Logicam interim suâ naturâ ac per se solius Philosophiæ, per accidens autem & secundario Theologiæ esse instrumentum: Qui quidem institutum eorum, qui Logica præcepta vel inuenerunt, vel in methodum redegerunt, inconsideranter confundunt cum ipsa natura artis; neque enim sequitur, Aristoteles, aut alius Logicę inuentor, Philosophiam respexit, Theologiam ignorauit. E. ipsa Logica in se & absolutè considerata ad Theologiam primariò non conducit, perinde enim est ac si quis diceret, Turcas terram Lemniam non destinare morbis Christianorum, ideo terræ Lemniæ nullam inesse vim ad morborum, quibus Christiani laborant, medicinam faciendam. Denique & hoc est, quod mihi cum primis videtur his præsertim annis, per multas Scholas & Academias vsum Logicę vehementer impedire, quod ingenia iuuenum curiosa magis quàm solida laudem exercitationis Logicæ aucupentur in disputationibus argutis, de genere, de obiecto, deque fine Logicæ, de notionibus secundis, de prædicabilibus & eorum numero, & id genus alijs infinitis; interim expeditam & solidam præceptorum methodum animo non comprehendant; nec in Philosophiæ & Theologiæ studijs eorum præceptorum exercitationem maturè, ipso nimirum ætatis flore aggrediantur: ineptus sanè architectonicæ discipulus fuerit, (inquit alicubi *Vir Clarissimus Dauid Chytræus*) qui in normis, asseribus, dolabris, planulis, cochleis, & id genus reliquis architectonicæ instrumentis poliendis, totam ætatem consumit, nunquam domum ædificat. Ita inutiliter in studijs versantur,

ſantur, qui totam ætatem circa Logicorum præceptorum diſputationem conſumunt, ad rerum verò exercitationem & contemplationem vel nunquam, vel nimis tardè accedunt. Hæc poſtquam ita præfati ſumus, vt exiſtimemus auditorum animos conſideratione inſtituti noſtri, ſimulque temporum præteritorum recordatione, & præſentium expenſione mediocriter eſſe ad id, quod acturi ſumus, præparatos: nunc tractationis noſtræ partes ac capita, diuinâ, quam imploramus, ope ac gratiâ ducente, ordine exequemur.

FINIS LIBRI PRIMI
GYMNASII LOGICI.

D GYM-

GYMNASII LOGICI

LIBER SECVNDVS, *DE TRACTATIONE.*

CAPVT I.

In quo partitio Exercitationis Logicæ in Vniuersalem & particularem.

Exercitatio Logicæ vel Specialis sive Particularis, vel Vniuersalis.

Specialis est, cum vnum aliquod particulare præceptum Logicum suo exemplo illustratur & exercetur.

Nimirum faber artem suam dupliciter exercet; nam aut malleo tantum vtitur ad cudendum, aut forcipe ad extrahendum, aut denique aliud aliquod solitarium instrumentum artis suæ adhibet ad partem operis sui certam conficiendam: mox verò omnia suæ artis instrumenta simul expedit, & opus aliquod integrum & artificiosum, videlicet, horologium automatum, vel tale quid fabricat. Similiter etiam Logicus dupliciter artem suam exercet; Interdum quidem particulariter per specialia præcepta & canones de proposito themate tantum cognoscit, nimirum vel nomen solum, vel genus, vel definitionem.

Ad

Ad hunc vſum ſpecialem non opus eſt peculiari manuductione, extra Syſtema præceptorum Logicorum; ibi enim vſus per ſingula præcepta declaratur & monſtratur ſpecialibus exemplis, quorum maxima vis eſt tum ad intelligenda ipſa præcepta, tum etiam ad conſpiciendum eorum vſum.

Quando verò non per vnum aliquod, ſed plura ſimul inſtrumenta & præcepta Logica cupit expedire rei totius abſolutam & plenam tractationem, tum certa inſtitutione eget, quâ poſſit præceptorum omnium applicationem ad opus ordine ac diſtinctè perſpicere.

Atque hoc loco facere non poſſum, quin Studioſos Logicæ iterum admoneam, quid mihi videatur potiſſimè deſiderandum in eorum tractationibus, qui PETRVM RAMVM ſequuti, de exercitatione Logica ſcripſerunt: nimirum, etſi, vt ante confeſſus ſum, in eorum Logicis pauciſſima ſint præcepta, quæ non habeant vſum certum atque euidentem; tamen plurima omittunt valde neceſſaria certè ad vſum particularem in materijs Philoſophicis & Theologicis. In eo ergo vſu Logico malè conſuluerunt, dum de generali exercitatione ſolliciti, ſolitarium hunc ſiue particularem magnâ ſui parte neglexerunt, cum tamen vſus particularis tam ſit neceſſarius penè quam communis; imo cum communis vſus particularem præſupponat, & ab eo neceſſitate naturæ ſuæ dependeat: Idque ne immeritò in ijs autoribus deſideraſſe videamur, prouocamus ad præcepta & canones Syſtematis noſtri, è quibus pauca hic maioris fidei & illuſtrationis causâ repetemus ſecundum tres Logicæ partes. In doctrina de perſona Chriſti, fatentibus omnibus Theologis, magnus eſt vſus Canonum de voce abſtractâ & cócretâ, item in doctrina de Sacramentis, de peccato, & id genus alijs locis communib. magnus eſt vſus ordinis ſubſtantiarum, relationum, actionum, vt Petrus Martyr oſtendit tom. 1 Locor. loco 10. at de his nulla diſtincta præcepta, nulli diſerti canones in Rameis Logicis. Nemo rectè explicabit doctrinam de Chriſto, niſi diſtinguat inter Perſonam & Indiuiduum: at verò de his nihil in Logica Rami. Nec poteſt fundamentaliter

intelligi, quid sit *communicatio idiomatum*, sine illa doctrina Logica & sine Canonibus de Subiecto limitato, qui extant pag. 179. Systematis Logici, aut sine regulis, quæ traduntur pag. 198. quarum vsum Ramei è suis Logicis monstrare non possunt; nos autem monstrauimus pag. 317. Systematis Theologici. Audiant à me verissimam hanc vocem; Quia Ramus totam illam sublimem scientiam, quæ Metaphysica dicitur, repudiat, & verò etiam è Logica abiecit subtilis & aluoris contemplationis instrumenta, de essentia, existentia, individuo, personâ siue hypostasi, modis, gradibus, vnitate, vnione, relationis termino & fundamento, distinctione, limitatione, & alia eiusmodi; idcirco fieri non potest, vt ex præceptis Logicæ & Philosophiæ Rameæ idonea & necessaria adminicula afferantur ad intelligendas solidè, & dextrè explicandas grauissimas materias & Locos de Dei essentia, de personis Trinitatis, earumque ab essentiâ & inter sese distinctione, de peccato, de persona Christi, de duarum naturarum inter sese vnione & distinctione, de Sacramentis & miraculis. Hos, inquam, Locos Theologicos nunquam accuratè χατ' ἀλήθειαν intelliget purus Rameus; multò minus contra Arrianos, Samosatenianos, Pontificios, Flacianos, Vbiquetarios, obiectionibus & sophismatibus eorum neruosè & sufficienter expeditis ac refutatis, feliciter vindicabit. Quin imo & hoc addam, etsi aliquid possit fortè Rami discipulus ac sectator præstare in ijs conclusionibus & axiomatibus, quæ sunt purè theologica, tamen & miseram & impeditam fore omnem eius theologicam peritiam in Conclusionibus mixtis, quæ partim theologico, partim philosophico constant termino; quales plurimæ ac multiplices reperiuntur in Theologicâ disciplina, & formandæ sunt sæpissimè, quoties cum aduersarijs modò enumeratis est congrediundum, vt pagina 109. Systematis Logici ostendimus. Contra Iudæos & Anabaptistas aliquid præstiterit sanè: hi enim cum omnis liberalis doctrinæ ignari sint, eruditum subtilemque & Philosophicum terminum nec ferre inter disputandum possunt; nec, si ferrent, intelligerent: At verò Antitrinitarios, Arrianos, Samosatenianos, Pontificios, Vbiquetarios,

quetarios, si aggrediatur disputando, poterit quidem ex Scriptura sententiam orthodoxam confirmare, quod videmus multos etiam Rameos fecisse; sed cum ventū erit ad expediendas, quæ in his materijs variæ oriuntur, difficultates, ad soluendos nodos, ad explicandum doctrinæ τὸ ἦθος, & denique ad refutanda aduersariorum argumenta, non ex Scripturæ tantum verbis, sed ex rerum ipsarum, de quibus disputatur natura, ac proprietatibus ducta; tum verò nisi ad Peripateticam Logicam & Philosophiam sese conuertat, & inde adminicula petat, rem geret infeliciter; & reipsa sentiet quàm sit imperfecta Rameæ disciplina, quàm vacua præceptorum, terminorum & Canonum, pertinentium ad explicandas & defendendas præcipuis illas maximéque arduas in S. Theologia materias. Nō temerè id loquor, sed ex animi mei conscientia contestor, edoctus tum aliorum, tum meâ ipsius experientiâ. Quin & confitentur idipsum non obscurè præcipui nonnulli è Scriptoribus Rameis, qui doctrinam de Prædicamentis, de Demonstratione, & Sophisticis Elenchis interserunt Logicis præceptis, quam ante omiserant; Vident nimirum viri intelligentes & experientiâ edocti, nuda illa Rami præcepta Theologis ad grauiss. disputationes cum Arrianis, Pontificijs, Vbiquetarijs, feliciter instituendas non sufficere. Id ij inprimis optem considerare eos Theologiæ Studiosos, qui præcepta Logicæ Rameę ad studium sacræ disciplinæ feliciter capessendum & pro Ecclesię emolumento exercendum persuasi sunt abundè sufficere; Idcirco his solis addicti Peripateticam Philosophiam, Logicam inprimis & Metaphysicā vel iuueniliter despiciunt nunquam cognitam aut lectam, multò minus vsu probatā; vel nauseabundi fastidiunt, vtpote, quæ ipsis non fuerit à præceptorib. ita vt decebat, dextrè, expeditè & fideliter; sed intricatè & prolixè & morosè tradita. Quorum quidem posteriorum, quales plurimi sunt passim, vicem doleo, optoq; in eos posthac incidant præceptores & autores, qui veram illam teneant, dexteramq; & expeditam Logicę & Philosophię Peripateticæ viam ac rationem. Sed nunc pergam ad particulares aliōs Rameæ Logicæ defectus.

Distinctio ambiguarum vocum per vniuersam Theologiam necessaria est; inprimis in doctrina de Gratia, de Fide, de Iustificatione, vt ex tomo quarto Bellarmini satis apparet. Nam distinctionem horum vocabulorum *gratiæ, iustificationis*, tanquam totius suæ disputationis principium præsupponit: at verò iudicare distinctionem, rectène an secus instituta sit, est profecto Logicum quid, & eget Logicis canonibus, quos Systema tradit pagina 214. ac verò in Logicis Rameis huius iudicij regula nulla: nam quæ de diuersitate illic traduntur, ad rem pertinent, non ad voces. Idem dico de rerum conuenientia & diuersitate, quorum instrumentorum canones ibidem omittuntur, valde certè necessarij in doctrina de Trinitate, de Verbo Dei, de Sacramentis, de miraculis. In secunda Logicæ parte omittunt vtilissimam doctrinam de axiomatum siue propositionum vniuersalitate, quam *commodam*, siue *restrictam* vocant Theologi, & cuius ingentem vsum ostendunt in doctrina Prædestinationis, ad explicandas eas Scripturæ propositiones, quæ omnes homines dicunt saluos fieri, vt pag. 321. exemplis plurimis ostenditur. Sic per totam Scripturam & omnes pene locos communes incuitabilis est vsus doctrinæ de Limitationibus prædicati ad subiectum, vt, quâ limitatione seu respectu Deus velit peccatum, aut non velit, & eiusmodi alijs, quæ ostenduntur pag. 342. At de limitatione ne mentio quidem apud eos extat. Regulæ de interpretandis Scripturæ locis obscurioribus aut controuersis, nullæ ab ijs traduntur, cum tamen ab omnibus Theologis veteribus & recentibus, & inprimis illo doctissimo Sadeele, hinc inde regulæ eiusmodi citentur, tanquam principia explicationum & disputationum, ex testimonijs Scripturæ; quas etiam Systema collegit pag. 371. De propositionibus præterea, Synonymis, Paronymis, item Proprijs & improprijs ac figuratis, quarum euidentissima est vtilitas in doctrina de Persona Christi & Cæna Domini, alijsq; Sacramentis, quod disputationes *Hoffmanni*, *Buscheri*, & aliorum testantur; nihil in istorum Logicis extare video. Iam, vt ad tertiam Logicæ partem veniamus,

magnus

magnus sanè is est defectus, qui animaduertitur circa doctrinam Syllogismi, cuius Canones generales & speciales, qui ad singulas figuras pertinent, planè omittunt; cum tamen expedita & prompta disputatio nulla esse queat, nisi mens siue discursus noster in numerato habeat canones, ad quos formam Syllogisticam, velut ad lapidem Lydium examinet. Exempla possem plurima producere, sed sufficiat vnum, quod attingitur pag. 442. Systematis, vbi talis extat Syllogismus Vbiquetariorum: *Totus Christus vbiq; est; Totus Christus constat simul ex diuina & humana natura. Ergo diuina & humana natura vbique sunt.* Ad hunc Syllogismum, ex definitione tertiæ figuræ responderi nequit, seu vt Ramus collocat, primæ: quia definitio hoc tantum requirit, vt medium respectu vtriusque partis in quæstione positæ sit primo loco in vtraque præmissa, & præterea tam propositio, quàm assumtio vera est: restat ergo, vt recurramus ad Canonem illum, qui citata pag. traditur. Deinde omittunt etiam Syllogismum ducentem ab absurdum, cuius quam efficax sit vsus, præsertim in redarguendis hæreticis, per multa exempla theologica ostenditur pag. 446. In speciali verò doctrinâ Syllogismi, pene intolerabilis est Logicæ istius mutilatio, quod memini mihi confiteri doctissimos ex isto ordine Logicos: tradit enim de Syllogismo Logica Ramea tantum in genere; ad species, prout lex methodi postulat, non descenditur: cum tamen in doctrina axiomatis à genere seu formâ ad speciem seu materiam, siue necessitatem & contingentiam videamus præcepta Logicæ Rameæ deduci. Aut ergo ad Logicam non pertinet distinctio propositionis contingentis & necessariæ, & ita malè Ramus Axioma partitus est, qui in Contingens & Necessarium id distinxit: aut, si ad Logicam istiusmodi distinctio pertinet, pessimè fit, quod omittitur in doctrina Syllogismi, qui nihil est aliud quàm axiomatum dispositio. Quid dicam de omissâ Demonstratione totius pene Logicæ animâ, cuius vsus quam longè lateque ad omnes disciplinarum agros sese diffundat, vel sola exempla in Systemate tradita, ostendere possunt. Sed & doctrina de

Syllogismo Sophistico; maximâ vsus Logici iactura, est omissa; quod iam prudentiores etiam apertè confitentur, qui hanc doctrinam suis præceptis Logicis addiderunt. Nec ad Methodi species, Syntheticam nimirum & Analyticam deueniunt, quarum tamen maximus est vsus in diuersarum disciplinarum constitutione, vt in Systemate per amplexa docetur. Vnicam esse methodum perfectam & ipse statuo; vnicam dico, non absolutè & simpliciter, sed secundum quid, ratione nimirum processus & termini à quo, qui vnicus est, videlicet à natura prioribus ad posteriora, vt Systema explicat.

Ostendimus, quid in vsu particulari Rameæ Logicæ desit; iam id quoque breuiter monendum est, eum ipsum vsum particularem, quem in præceptis suis Logicis tradidit, non esse conuenienter satis & aptè à Petro Ramo commonstratum, quod inde liquet, quia præcepta per definitiones & diuisiones disposuit, Canones autem omisit, cum tamen definitio essentiam rei, diuisio autem species seu partes tantum explicet; id quod ad vsum in artibus nequaquam sufficit. Etenim omnes termini Logici sunt instrumenta confecta ad operationem, operatio autem præsupponit aptitudinem instrumenti ad opus, aptitudo ex proprietate discitur & elucet: sicuti inspicientes figuram & formam malleï facilè conijcimus eum conducere ad cudendum; Istam autem figuram & formam seu proprietatem & aptitudinem Logicorum instrumentorum ad operandum, non possumus discere ex sensu; quia hæc instrumenta sunt purè intellectualia, nec possumus discere ex definitione; quia definitio tantum essentiam declarat, proprietates autem ex ea fluentes distinctè non monstrat; nec id docet diuisio, quæ tantum partes iudicat. Restat igitur, vt canones addantur, qui nihil aliud sunt, quam documenta proprietatum, quibus distinctè cognitis mens humana longè celerius & expeditius ad vsum sese exerit, & de rebus ex arte Logica iudicat, canonem scilicet ponens loco maioris in Syllogismo, per quem de genere, specie, definitione, &c. iudicium faciendum est.

CAPVT

CAPVT II.

In quo Partitio exercitationis Logicæ vniuerſalis in Tractationem & Recognitionem.

VNiuerſalis exercitatio eſt, cum integra aliqua præceptorum Logicorum ſeries reb. cognoſcendis aut recognoſcendis applicatur.

Quid innuam, exiſtimo non eſſe obſcurum, vel ex ſola ante inſtituta comparatione artis fabrilis: in qua, ſi particula fortè operis aliqua conficienda eſt, in manum ſumitur ſolus malleus, aut forceps; Sed vt totum opus fabrile conficiatur, non malleus, ſed omnium inſtrumentorum fabrilium apparatus adhibetur. Sic in Logica interdum genus, aut cauſam, aut accidens aliquod rei tantum meditamur, aut vno vel altero Syllogiſmo probamus aut refutamus, & ita ſufficiũt ſpecialia, quæ in Syſtemate traduntur præcepta, ſuis ſemper illuſtrata exemplis. Verum id non ſufficit, ſed poſtulat vſus, vt ad integri alicuius operis perfectionem ac pleni propoſiti meditationem mens hominis ſeſe accingat: & hæc tum dicitur communis, ſiue vniuerſalis & plena artis Logicę exercitatio, ad quam ſupra diximus ſingula illa præcepta, quę ſunt in Syſtemate, non per omnia apud omnes ſufficere; ſed mediocribus ingenijs opus eſſe peculiari inſtructione, qua admoneantur de integro inſtrumentorum Logicorum apparatu inſtruẽdo, atq; ita ſciant, quod inſtrumentum primò, quod ſecundò, quodnã verò ſumò in officinam ſit deferendum; quomodo inde in ordinem operis ſingula diſponenda, dum mentis illud opus, quod intendimus, integrum conficiatur. Idq; nunc deinceps agemus.

Eſt q́, vel Tractatio rei, vel tractata Recognitio, quarum illa γένεσις, hæc ἀνάλυσις vſitatè dicitur.

Tres ſunt hodie Logicorum velut ſectæ ac familiæ: Peripatetica, Ramea, Lulliana. *Peripatetica*, vſum Logicæ prima omnium in geneſin & analyſin partita eſt, ſic nempe edocta ab Ariſtotele, quod ſuprà oſtendimus, & inprimis ab ipſa tum mẽtis humanę, tum

Logicæ

Logicæ artis proprietate: Quicquid enim mens noſtra circa integrum aliquod propoſitum ſeu materiam cogitat ac meditatur, id omne eo recidit, vt ignotam ante materiam per inſtrumenta Logica inueſtigando plenè cognoſcat, explicet, probet, diſponat, vel ab alio aliquo authore ante tractatam, id eſt, explicatam, probatam, diſpoſitam, per ea, quibus tractata eſt, inſtrumenta reſoluat ſeu recognoſcat, vel examinis cauſſa, vel imitationis gratiâ. Sunt ergo duo generalia & ſumma mentis humanę exercitia, Cognitio & Recognitio. Hanc partitionem tam perſpicuam & ad vſum artis inprimis accómodatam receperunt *Ramei*, & amicâ conſpiratione per Scholas celebrem & illuſtrem reddiderunt: magnam in eo tum dexteritatis tum candoris laudem meriti. Tertia verò ſecta, *Lulliana*, nimirum in diſcipl natum methodo, atque adeo etiam in vſu artis Logicæ meteorologicam quandam terminorum ſubtilitatem videtur affectaſſe, ita tamen vt recentiores nonnulli ex hac familia de vſu Logicæ ſic ſcripſerint, vt verbis magis, quam reipſa videantur diſſentire. Nec verò alienum, aut ſtudioſis Logicæ ingratum futurum exiſtimo, ſi de Lulliana Logica eiuſque vſu hic quędam breuiter interſeram: præſertim cum multi hodie paſſim reperiantur, qui ex ſolo Lullianæ diſciplinæ nomine eminentem quandam doctrinæ laudem aucupentur. Ego quidem in hiſtoria vſus Logici mentionem Lulli conſultò omiſi, quod exiſtimarem hoc loco commodius de eo moneri poſſe. Scripſit autem *Raimundus Lullius* libros theologicos, Chimicos, & logicos, quibus Rhetoricen eius annumero, homo ingenij ſupra quam ſubtilis, & ipſa cogitationum ſuarum tenuitate euaneſcens. De Logica eius tantum hic videamus. quam quidem ſcripſit duplicem; vnam, velut abſtractam; alteram, concretam & materialem. *Logicam* eius *abſtractam* voco, in qua artis præcepta tradidit notionib. ſecundis, ſiue terminis vere Logicis, & Ariſtoteli etiam magna parte probatis; & Logicam quidem in eo libello ſic definit, *Quod ſit ars, qua verum & falſum ratiocinando cognoſcuntur, & argumentatione diſcernuntur*; de qua definitione & cum multis Peripateticis

Quid Raimundus Lullius in Logica & eius vſu præſtiterit.

teticis recentibus conuenit, esse videlicet eam vero suo definito angustiorem, & vim vsumque artis non complecti, in Præcognitis Logicis monuimus. Diuidit autem Logicam melius, quàm definit, dum tria in ea, consideranda dicit, terminum, propositionem, & argumentum; sed hoc animaduersione inprimis dignum est, quod terminorum simplicium doctrinam quasi non ad rem pertineat, præterit, de propositione & Syllogismo tantum agit, idque etiam valde ieiunè ac leuiter, vt videri potest in eius libello, cui titulus est, *Logica noua. Logicam* porro *Lulli concretam* voco disciplinam illam, quam sibi persuadet esse generalissimam, confarcinatam ex terminis non notionum secundarum, sed primarum, quas ex Metaphysica, Physica, & Ethica in vnum chaos congessit, & *artem magnam* vocat, quam deinde in compendium contraxit artis breuis titulo appellatum. In vtraque tam magna quam parua arte hic ei scopus propositus est, vt exercitationem ostendat in quæstionibus magna argumentorum copia disputandis, & secundo vt ministret viam per figuras, quâ artificialis quædam memoria comparari possit pro tanta argumentorum copia, quam pollicetur, retinenda & conseruanda. Atque ita non intellectui tantum & discursui per artem suam, sed etiam memoriæ putauit esse consulendum: in quo quidem à reliquis omnibus Logicis discrepat, qui Logicæ finem & vsum per se & principaliter ad solam rationem siue intellectum referunt. Atque hunc fuisse scopum ac præcipuum propositum Lulli, apparet ex eo opusculo, cui titulum fecit, *De auditu cabalistico*; siue, vt alij deinceps explicarunt, *introductorium ad omnes scientias*, in cuius procœmio hæc sunt eius verba: *Quia quodlibet opus methodici constituitur, non solum vt intellectus humanus sese exerceat: sed vt sit remedium obliuioni: idcirco primi nostri libelli tractatus tres comprehendit partes; quarum prima est alphabeti & figurarum: secunda quidditatum partium subiecti huius adæquati, tertia regularum, quibus hæc scientia vtitur, qua omnino mirabiliter obliuioni resistunt.* Et verò cum duæ sint facultates hominis ad eruditionem inprimis necessariæ, Intellectus, seu ratio, & Memoria, vtique non negligenda quæstio est, *virum etiam ad iuuandum*

Vſus Logicæ in iuuanda memoria.

dam memoriam vſus Logicæ artis pertineat. Diſtinctione autem hic opus eſt, niſi quis in dijudicanda quæſtione hallucinari velit: etenim cum omnis ars vnicum habeat obiectum, à quo ipſa vnica etiam denominatur, Logicæ etiam vnum tantum obiectum erit primarium ac principale, intellectus nimirum, cui ea potiſſimum deſtinata eſt, & quem omnia Logicæ inſtrumenta iuuare & dirigere apta ſunt. Ad memoriam verò ſecundariò & minus principaliter, Logicæ artis præcepta deſtinantur; & quidem non ad memoriam, quæ nobis communis eſt cum brutis, & quâ rerum ſingularium & ſenſualium imagines conſeruantur, ſed alteram illam quæ homini propria eſt, quæque notiones vniuerſales, & à ſenſibus quaſi abſtractas cuſtodit. Hanc nimirum iuuat Logica, dum ordinem præſcribit ac methodum, qua res in intellectum & cognitionem aptâ diſpoſitione poſſint recipi, atque inter ſeſe certo antecedentium, conſequentium, primorum, mediorum, & vltimorum nexu ita deuinciri, vt, dum intellectus vnum apprehendit, ad alterum præceptis Logicis inſtructus deducatur, etſi fortè aliquid è memoria exciderit, recolligere illud queat ex ſimili aut oppoſitis, quam recollectionem Philoſophus ἀνάμνησιν, id eſt, recordationem appellat, & à memoria accuratè diſcernit in libro, quem de memoria & recordatione ſcripſit. Sic ergo intelligitur Logicam memoriæ inſeruire, quatenus memoria quædam intellectus filia eſt, cui intellectui tamen ſoli Logica primario eſt deſtinata: Ita vt in eam opinionem veniam, cum duæ ſint principes hominis vires, Intellectus & Memoria, ideo vt intellectui per peccatum deprauato & obſcurato, inuenta eſt Ars Logica, tanquam correctrix & adiutrix: ita quoque Memoriæ eodem peccato labefactæ artem peculiarem eſſe reperiendam, quâ poſſit iuuari & confirmari: artem dico non ſenſualibus tantum illis imaginationibus, qualem hodie Memorialiſtæ fabricant, ſed vniuerſalibus conſtantem notionibus. Atque ad huius artis conſtructionem viros paſſim doctos & Philoſophos mutuas operas conferre & tradere vehementer optarim: Ipſe quidem lineamenta nonnulla duxi huiuſmodi

Mnemo-

Mnemonici Syſtematis. Quod ſi minus ego propter varia impedimenta poſſim abſoluere, erunt forte alij, qui in eam cogitationem atque operam, quod opto, ſuccedant: neque enim parum inde ad rem omnem literariam adiumenti, ou intum indico, & excitamenti accederet. Lullus quidem, dum non multum ad eam rem præſidij attulit, quia diuerſarum in homine facultatum præcepta vnâ disciplinâ confudit, nec præcepta etiam ad eum finem idonea ſubminiſtrauit, quia memoriam eiuſmodi inſtrumentis iuuare voluit, quæ eam mirificè inuoluunt, grauant & impediunt, vt ſunt Labyrinthi illi & concamerationes circulorum alphabetariæ, quæ memoriæ imprimi vix poſſunt, &, ſi impreſſæ ſunt, eam reddunt ineptam ad promendum quod commiſſum fuerat: quin & dum memoriæ conſulere vult, intellectum & rationem ac iudicium impedit, quia ad ſenſuales iſtas imagines mentem detrahit, quam oportebat ad vniuerſalia maximè omnium eleuari, & a ſingularibus abduci. Porro recentiores Lulliani vſum Logicæ definiunt: quod ſit, *Actio rationis ſeu intellectus, quæ circa inſtrumenta Logica verſatur, ad efficiendam in rebus & aliis ſcientiam.* Ad hunc autem vſum tria aiunt requiri: 1. vſurpans, 2. vſurpatum, & denique vſurpandi modum; Vſurpantem, ſeu vtentem eſſe hominem vel priuatum, vel publicum; priuatum eſſe hominem ſtudioſum indagatorem earum rerum, quæ latent per vſurpationem inſtrumentorum, quibus velit ſibi ſcientiam acquirere: publicum eſſe eum, qui alijs ſcientiam, quam ipſe habet, docendo communicat & tradit, ſiue de ſacris, ſiue de prophanis rebus. Modum autem vtendi eſſe regulam certam certum quid efficiendi: & hunc eſſe vel *ſyntheticum*, vel *analyticum*: Syntheticum eſſe, cuius effectum eſt opus propria induſtria à nobis per artem conſtructum: Analyticum autem eſſe eorum, quæ per artem, vel à nobis, vel ab alijs dicta atque ſcripta ſunt, examen, quo efficitur, vt à nobis aliorum, & ab alijs noſtra dicta ſcriptave intelligantur, & ita nos cognoſcamus, quid alij ſciuerint, & alij itidem cognoſcant, quid nos ſciamus. Atq; in hac de vſu Logicæ Lullianorum traditione laudandus eſt conſenſus cum

Peripate-

Peripateticis in partitione vſus Logici, quem etiam illi aut σύνθεσιν aut ἀνάλυσιν eſſe non diſſitentur: *Syntheſin* nimirum vocantes, quod alias *geneſis*, ſeu *tractatio* dicitur. Sed contra non pauca ſunt, quæ in præceptis, atque adeo etiam in vſu Logicæ Lullianæ deſideramus, tanquam animaduerſionem magnam poſtulantia. Primum eſt, quod Lullus artem quandam fabricet generaliſſimam non ex notionibus ſecundis, quas in arte ſua magna vix attingit, ſed ex ipſis rebus, ſiue notionibus primis, quæ vel in Theologia, vel in Phyſica, Metaphyſica, aut Ethica traduntur. Ex his enim diſciplinis materias generaliores depromit, & in vnum quoddam chaos confundit, vt nimirum cum de re aliqua diſputandum eſt, generaliſſimas illas materias ad tractationem materiarum ſpecialium accommodemus, quæ ratio & fallax admodum eſt & confuſa: & denique ab intellectu noſtro valde aliena. Is enim eſt ita conſtitutus atque affectus, vt res ſeu notiones primas non poſſit cognoſcere per alias notiones primas, tanquam per normas ſuæ actionis, ſed opus habet notionibus ſecundis; quibus mediantibus primas poſſit concipere: ſicut concipere non poteſt exploratè rectitudinem alicuius aſſeris, niſi per normam ab aſſere illo diuerſam. Atque in eo perinde mihi Lullus feciſſe videtur, vt veteres illi Dialecticæ doctores, quos extremo capite Organi Ariſtoteles reprehendit, quod rationem diſputandi monſtraturi, non dederint præcepta Logicę, ſed farraginē tantum exemplorum ac variarum diſputationum diſcipulis propoſuerint, aitque eos ſimiles eſſe ſutori, qui cum tyronem ſuum docere debeat, qualiter calceus ſit conſuendus, nulla ei præcepta ſuppeditat, ſed aceruum calceorum ei obijcit, vt inſpiciens calceos, diſcat calceos ſuere; planè ita Lullus factitauit, qui cum debebat monſtrare rationem qua res diſci ac doceri poſſint, ipſe ex omnibus fere diſciplinis aceruum quendam generalium rerum ac materiarum accumulans ac comportans profitetur ſe Logicam, i. artem res docendi & diſcendi tradidiſſe. Nec poteſt id Lullus ipſe diſſimulare aut diffiteri, & vt maximè vellet, ſatis id teſtaretur vel ſola eius Rhetorica, de qua ſic dicit: *In hac ſcientia perfunctorie attinguntur*

tinguntur omnes artes: quia oratoris officium eſt, de rebus dicere, vnde & tota ars dicendi diuiditur in ſubiecta & applicationes. Subiecta ſunt nouem, Deus, Angelus, Cœlum, Homo, imaginatiua, ſenſitiua, vegetatiua, elementatiua, & inſtrumentatiua. Applicationes verò ſeu prædicata, vt vocat, eodem modo per reales terminos tradit. Sed & id maximopere in Lullianis deſideratur, quod totam ſuam Logicam tantum accommodant ad diſputationes ſiue quæſtiones & problemata tractanda: explicationem autem ſimplicium thematum & methodicam tractationis diſputationem plenè negligant, ſicuti apparet ex præfatione artis magnæ & paruæ, in qua dicit ſcopum totius artis eſſe, *reſpondere de omnibus quæſtionibus.* Quaſi verò Logica tantum inſeruiret diſcurſui ſyllogiſtico, ſiue probationi concluſionum incertarum, non autem explicationi rei ignotæ vel obſcuræ & diſpoſitioni rei confuſæ. Atque hæc de partitione vſus Logici idcirco prolixius commemoranda fuerunt, vt intelligeremus, quantum interſit inter Peripateticorum doctrinam, & inter eorum traditiones, qui vſum pulcherrimæ artis vel mutilant, vel obſcurant.

CAPVT III.

De Tractatione Simplici.

TRactatio eſt meditatio thematis ſeu materiæ per inſtrumenta artis conficiendæ.

Eſtq́, vel ſimplex, vel coniuncta.

Simplex tractatio eſt, qua explicatur thema ſimplex.

Thema ſimplex, eſt res vnita vnico termino ſignificata.

Sicut omnis ars, ita etiam Logica habet certum quoddam ſubiectum circa quod verſatur, & in quod ſua artificia introducit, id vnico vocabulo dicitur Logicis *Quæſtio*, vel, *thema*, ſiue, *propoſitum*: neque enim in vocabulis eſt anxiè ſudandum, modò conſtet quid velimus.

Tracta-

Tractatio thematis simplicis est vel vniuersalis vel singularis.

Antequam thema aliquod simplex per instrumenta Logica tractari & explicari possit, ante omnia considerandum est, sit ne in certo aliquo rerum ordine, siue, vt loquimur, prædicamento: item sit ne totum an pars, sit ne vniuersale vel singulare, cuius examinis præcepta extant in Systemate, pag. 36. & sequentibus aliis, quod idcirco moneo, vt considerent studiosi totius tractationis primum principium & fundamentum in eo esse situm, vt sciatur ordo seu prædicamentum, in quo collocetur tractandum thema, & simul etiam modus, quo idem illud thema in ordine rerum collocari debeat, quem modum quintuplicem esse in Systemate traditur. Itaque si præcepta nos doceant, vocabulum illud simplex quod proponitur, nullam rem sub se continere, quæ in aliquo prædicamento collocetur, tantum id agendum est, vt nomen istius rei explicetur, & euoluatur significatio: de cætero nihil fuerit nobis laborãdum, id quod videmus factum esse ab Aristotele lib. 4. Phys. vbi, cum de vacuo ipsi est tractandum, nihil aliud agit, quàm vt explicet, quid nomen vacui denotet: sic cum in Theologia est agendum de Purgatorio, & animaduertitur in nullo rerum genere seu ordine Purgatorium enumerari, tantum videndum est, quid vocabulum Purgatorij significet, & quid Pontificij per istud nomen intelligant. Cætera autem thematis simplicis instrumenta nec possunt nec debent adhiberi, sed statim accedatur ad problema, & disputationem, quâ ex vsu tertiæ partis Logicæ probatur purgatorium nihil esse.

Canones generales tractandi thematis simplicis sunt quinque.

IN tractatione simplicis thematis, cuius canones nobis nunc sunt expediendi, tantum est momenti, vt impossibile sit vsum Logicæ in disputando, disponendo, & alijs eiusmodi functionibus vnquam idoneè & legitimè

legitimè exerceri, niſi hoc velut primum principium & fundamentum rectè ſit conſtitutum. Etenim, vt perfectiſſima eſt inter omnes intellectus functiones ea, quæ dicitur *apprehenſio*, ſiue *explicatio rei ſimplicis*, vtpote quæ nobis cum Deo & angelis eſt communis; ita fieri nequit, vt diſcurſus ſiue diſputatio & diſpoſitio rectè procedat ſine ſimplicium præſuppoſita cognitione; quandoquidem in omnibus rebus natura ita inſtituit, vt compoſita ſine ſimplicibus nec conſtitui, nec intelligi queant: de qua re etiam monet Syſtema pag. 236. & pa. 411. & rem totam breuiter complexus eſt Philoſophus lib. 1. poſt. c. 3 §. 4. *Principium*, (inquit) *ſcientiæ eſt terminos*, id eſt, themata *ſimplicia cognoſcere*.

I. CANON. *Conſideretur primo propoſiti thematis nomen, an ſit ſimplex: & ſi ſimplex non ſit, ſed ex pluribus vocibus combinatum, an poſſit ad vnicam ſimplicem vocem reduci, ſiue in Latina, ſiue in Græca lingua. Eius enim lingua vox præferenda erit, quæ rem ſimplicem, quã ſimpliciſſimè ſignificat.*

Hic canon idcirco notandus fuerit, quia nomina ſunt ſigna rerum, itaq; rei ſimplicitati debent etiam reſpondere, vt videlicet thema ſimplex ſimplici vocabulo ſignificetur: quod ſi Latina lingua non admittat, cogitandum erit de alia lingua quæ inter eruditos frequentatur, Græca nimirum aut Hebræa; imo & quilibet cogitet in ſua lingua materna, quale nam huic themati vocabulum ſit impoſitum: quandoquidem hoc certum eſt cogitandi & meditandi principia homines ducere à vocibus tanquam notioribus re ipſa. Exempli cauſa: Cum Latini dicunt, Naturalis parentum amor in liberos, ſunt hic quatuor vocabula, quæ tamen vnicum & ſimplex thema ſignificant; cum autem difficile ſit thema ſimplex tractare, quod pluribus vocabulis ſignificatur, conſulenda erit Græca lingua, quæ hoc thema enunciat vnâ voce, quæ eſt στοργὴ: atq; iſta vocis ſimplicitas primum eſt lumen tractationis.

II. *Vbi vox ſimplex inuenta eſt, conſideretur, an ſit nomen abſtractum vel concretum.*

Hæc consideratio & distinctio nominis concreti & abstracti magnam lucem infert inuestigationi generis, &, vt sciri possit perfectène an imperfectè propositum thema collocetur in rerum ordine seu prædicamento: vt exempli gratia, si tractandum sit thema *Sacramentum*, & quis prægnoscat, esse vocem hanc concretam ex re visibili siue subst antijs sensu ibus, & ex inuisibili, seu sacra & mystica relatione, tum iam magna ei patefacta via est ad totam naturam & definitionem Sacramentorum solidè considerandam; idem de peccato & alijs multis thematibus Theologicis statuendum fuerit.

III. Considerandum etiam, sitne certa vox propositi thematis an ambigua; & si ambigua sit, accuratè distinguatur.

Hoc quoque magnum est ligitimæ tum explicationis tum disputationis principium, certum esse de certitudine vocis, i scire an vox sit vnius significationis; & si non sit, significationes discrepantes, id est, non subordinatas à se inuicem enumerando disiungere: de qua re Systema prolixè monet, pag. 217. & sequentib. Cum autem ambiguitas alia sit ex casu & velut temeraria, alia verò ex consilio, quando rebus diuersis idem nomen propter quandam similitudinem, quę est inter eas, imprimitur, idcirco id quoque diligens tractator examinabit, cur etiam istis rebus inter se discrepantibus, vnum illud idem nomen sit datum: vt si Theologiæ studioso sit de Deo tractandum, & videat etiam hoc imponi magistratui, considerabit causam, & consilium imponentis secum perpendet, nam & ea consideratio faciet ad perspicuam instituti thematis intelligentiam.

IV. Addatur definitio nominis vel κατ' ἀξίαν, vel κατ' ἐτυμολογίαν, & quidem hæc potissimum.

De definitione nominis agitur libr. 1. System. sect. post. cap. 1. & commendatur ea inprimis, quæ dicitur κατ' ἐτυμολογίαν, quæque vocem è sua origine seu notione declarat: quia origo vocis, plerumque est index naturæ, i. proprietatis & finis, ad quem res ordinata est, vt vel ex solo nomine *Iehouah*, liquidum est: huius nimirum

rum origo, si expendatur, quod enim dicatur ab *Hajah*, existendo, lucem magnam affert cognitioni naturæ Dei, quę à creaturis in eo potissimum distinguitur, quod existentia sit ipsi essentialis & Necessaria, cum creaturis sit Accidentalis & contingens: sic etiam in reliquis nominibus Dei Etymologia semper singularem Dei proprietatem indicabit, quod clariss. Zanchius perpendens in principio lib. 2. De natura Dei, nomina Dei omnia accuratè collegit, & suis notationibus declarauit.

V. Considerata definitione nominis, cogitetur accuratè de genere thematis, in quo nimirũ rerum ordine, & quomodo collocetur: Si autẽ nusquã in hoc ordine siue prædicam. extet, habebitur pro non Ente, & tractatio eius cũ nominis consideratione finietur.

Hic canon inprimis est notabilis, & docet discrimen inter thema verum ac reale, & inter fictum seu non Ens: nam cum etiam non Entibus nomen imposuerit hominum opinio, & multi homines thema, quod fictum est pro vero & reali ducant; ideo potissima hæc cura erit post nominis declarationem, cogitare an thema propositum sit in rerum natura: quod & Aristoteles generaliter monuit secundo Posterior. capite octauo, vbi ait: *Quærere quid sit, cum ignoretur quòd sit, est nihil quærere.* Quod & Logici velut prouerbio vsurparunt, cum dicunt: *Quæstio, an sit, præcidat.* Ad hanc autem quæstionem seu cogitationem *An sit*, pertinet etiam cogitatio *an esse possit aut debeat.* exempli gratia: Si quis tractet PVRGATORIVM, primò nomen est expendendum, vt & definitio & declaratio nominis per Etymologiam instituenda; quod nimirum hoc nomine significetur, ignis aliquis infernalis, paulò tamen mitior, quo purgari debeant animæ eorum, qui saluandi quidem sunt, tamdiu tamen torrendi, dum pro peccatis ipsorum plenè satisfiat. Hæc nominis declaratio, indicat talem ignem nusquam esse, idcirco nec in prædicamento vllo quærendum, atq; adeo stolidè definiri, aut suis casis & proprietatib. declarari. Sic, si thema sit SANCTORVM INVOCATIO, factâ nominis declaratione, cogitandum

est, an esse debeat, cum multa fiant, quæ fieri non debent, atque idcirco reuera sint non Entia. Cum autē id constabit, cultum seu inuocationem sanctorum nullam esse debere, impiè laborabitur in themate hoc tractando, per definitionem & reliqua instrumena Logica; cuius rei exemplum nobis reliquit Arist. li. 4. Phys. t. 50. c. 6. vbi de Vacuo tractaturus, inquit, *Physici esse considerare primo omnium, an sit vacuum*: postea text. 57. dicit: *ad quæst. ham, An sit vacuum; oportere præcognoscere, quid ipsum nomen significet.* Ita suo exemplo Philosophus manifestè comprobat hunc nostrum progressum, quod nimirum declaratio nominis præcedere debeat, antequam constare possit, sit ne in rerum natura thema an non sit, atque in eo ingens elucet prædicamentorum vsus, siquidem hæc potissimum nobis ostendere possunt, *an thema sit*; si vid. tabulis eorum perlustratis, thema alicubi reperiatur, aut non reperiatur: & simul etiam Canon ille, qui extat pag. 36. Systematis, recenti memoria conseruetur, qui docet modum quo res in prædicamenta recipiantur. Ita vt meritò Galenus dixerit, *Omnis ratione instituæ tractationis principium esse cogitationem de prædicamento* Cum autem dicimus, cogitandum inprimis esse, *An res sit*, nolumus intelligi ita, vt vulgus solet intelligere, an videlicet res existat certo loco aut tempori affricta; sed ita hoc accipi debet, an res habeat essentiam, siue, an possit existere, etiamsi vel nunquam adhuc existeret, vel ad multos annos extitura non sit. In summa quæstio *An sit* (quod inprimis notetur) non est accipienda secundū ὑπαρξιν, siue existentiam in certo loco, certove tempore: sed intelligenda est, essentialiter, siue, vt loqui solent Græci Logici, κατ' ἐσίαν. Exempli gratiā, si tractandum sit thema, INCARNATIO CHRISTI, quæstio; *an sit*, non erit ita accipienda, an hodie sit, aut an futura sit; sed hoc nobis satis est, si aliquando fuit, & nunc etiam durat in effectu, etiamsi iam non amplius incarnetur, id est, concipiatur & in lucem edatur Christus. Sic si tractandum sit thema, IVDICIVM EXTREMVM, quæstio, *An sit*, non erit ita intelligenda, an iam nunc sit, nec statim pro non ENTE thema fuerit habendum,

etiamsi

etiamsi nondum sit; sed quia certò futurum est, ideo tractatio thematis non minus valebit, quàm si nunc in præsenti essent; quia id omne est res & habet essentiam, quod vel aliquando fuit & esse desijt: vel quod nondum quidem existit, existere tamen aliquando potestaut debet.

Sed hic obiectionem intelligo moueri posse de vsu Logicæ in poëtis, quos constat themata simplicia pertractare sæpe eiusmodi, quæ nec vnquam fuerint, nec futura etiam queant expectari; vt cum Ouidius libr. 2. Metamorph. tractat thema, quod est *Regia solis*, quam explicat suis tum accidentibus, tum verò inprimis partibus integralibus. Sed respondendum erit, discrimen esse inter tractationem verè Logicam & descriptionem aliquam, quæ tantum apparenter Logica est: quales sunt istæ Poëticæ, quæ similitudinem quandam referunt Logicarum tractationum, non secus ac vmbræ HABENT SPECIEM corpori similem. Itaque errare eos vehementer existimo, qui vsum Logicæ ex æquo vigere dicunt in veris & fictis: nec perpendant interim, quod intellectus siue ratio sit OBIECTVM Logicæ, atque idcirco sicut iste intellectus suâ tantum naturâ ad verum fertur, non ad falsum aut fictum, perinde, vt voluntas suâ naturâ ad bonum tantum ordinata est: per ACCIDENS autem & vitio quodam declinat ad malum. Ita etiam intellectus artem per se & suâ naturâ ferri tantum ad vere siue ENS REALE, non autem ad fictum. Quod si dicant, artifices tamen esse poëtas, & ea quæ scripserunt, intellectu ac ratione meditatos esse: RESP. Artifices quidem eos esse, sed non tales, quorum artificia per se ac directè ad intellectum hominis perficiendum pertineat, sed tantum ad mouendos affectus & conciliandam delectationem, quæ sæpe maior percipitur ex rebus fictis, quam ex rebus veris quadam INCLINATIONE nostræ naturæ non vsque quaque laudanda. Nec verò sequitur statim id ad vsum Logicum primarium pertinere, quod ratione meditatum est: nam & ea meditamur, quæ Rhetoricæ propria sunt, quæque adeo ad motus animorum spectant, non autè ad solidam aliquam doctrinâ & notitiam.

[illegible] thema [illegible]

[illegible] thema [illegible]

[illegible] thema [illegible]

ejusmodi nondum sit, sed quæ certo futurum est, ut ex-
stitit rhenatus non minus valebit, quàm si nunc ex-
staret: quæ jam ompe est res & habet esse futu-
rum, quod vel agendo fuit & esse desiit: vel quod
nequidem quidem exstitit, existere tamen aliquando po-
tuit aut debet.

Sed hîc objectionem intelligo moveri posse de usu
Logicæ in poëtis, quos constat hominis simplicis per-
turbatæ sæpe enthymemata, quæ nec vocantur fiunt, nec
finitas exitus quæque expetitus; ut cum Ovidius libro 1.
Metamorph. festivè dicens, quod est ratio sola quam
explicat sua cum recidentibus, tam verò inepte
gradibus incognitis. Sed refellendum est, defen-
mem esse nostræ institutionis, quæ Logicam & definiti-
onem dicam, quæ tantum apparenter Logicæ est
qualesnam illæ Poëticæ, quæ similitudinem quandam
referunt Logicæ rationis, non secus ac umbra HABENT SPECIEM corporis similem. Itaque ex-
istimo non vehementer exilimo, quo illum Logicæ ex-
sequi vigere dicentur vera & ficta: nec perpendunt
interim, quod intellectus sive ratio sit OBJECTIVUS
Logicæ, neque id referat sive ille intellectus sua rationem
naturâ ad verum feratur, non ad falsum aut fictum per-
inde, ut voluntas sua naturâ ad bonum tantum ordi-
nata est: PER ACCIDENS autem & vitio quodam de-
clinat ad malum. Ita etiam intellectus artem per se &
suâ naturâ ferri tantum ad vere sine ESSE REALE, non
autem ad fictum. Quod si dicant, artifices tamen esse
poëtas, & ea quæ scripserunt, intellectu ac ratione
meditatos esse: RESP. Artifices quidem eos esse, sed
non tales, quorum artificia per se ac directe ad intel-
lectum hominis perficiendum pertineat, sed tantum ad
movendos affectus & conciliandam delectationem,
quæ sæpe major percipitur ex rebus fictis, quam ex
rebus veris quadam INCLINATIONE nostræ natu-
ræ non usque quaque laudandâ. Nec vero sequitur ita-
tum id ad vium Logicum primarium pertinere, quod ra-
tione meditatum est: nam & ea meditamur, quæ Rhe-
toricæ propria sunt, quæque adeo ad motus animorum
spectant, non autè ad solidam disciplinæ doctrinæ no-

titiam. Itaque quæ ratione meditata ſunt, ad Logicam pertinent, ſi ſcilicet meditata ſint tanquam proprii & idonea rationis humanæ obiecta, non autem ad ſpeciem tantum & apparentiam aliorum obiectorum verorum, quorum ſpecies in phantaſia conceptæ & inter ſeſe commixtæ occaſionem dant Poëtæ aliquid, quod nuſquam eſt, fingendi; vt, cum concipiens animo ſpeciem cerui, & ſpeciem hirci, fingit Poeta animal, quod τραγέλαφον appellat: aut cum animo concipiens ſpeciem montis, & item ſpeciem auri, montem ſibi aureum imaginatur.

Eſt autem tractatio vel perfecti thematis, vel imperfecti.

Perfectum thema eſt quod in ordine rerum ſeu Prædicamentis perfecte collocatur, tanquam res vniuerſalis per ſe vna & tota.

Valde neceſſaria eſt iſta diſtinctio thematis ſimplicis, & quâ neglecta videmus multos generaliter impingere, dum ſcilicet thema omne, qualecumque tandem ſit, methodo quæſtionis ſimplicis æqualiter, & iiſdem inſtrumentis Logicis eodemque modo adhibitis ſolent pertractare, non perpendentes quod Mercurius non fiat ex quolibet ligno, ſed cuilibet artificio idoneam eſſe quærendam materiam; atque adeo talem fore formam tractationis, qualis eſt materia tractationi ſubiecta. Cum ergo thema tractandum admodum diuerſum ſit, ita etiam diuerſos tractationis canones in methodo quæſt. ſimplicis tradi fuerit neceſſum. Et hoc eſt inter prima & potiſſima legitimæ tractationis principia: conſiderare nimirum an ne tibi propoſitum thema tale habeat genus, quod perfecta ratione in prædicamentali ordine ſit collocatum: quod examen qualiter inſtitui debeat, id eſt, quæ res in prædicamentis perfecta ratione ſint, explicatur pag. 36. Syſt. ad quam explicationem diligenter perpendendam ſtudioſos Logicæ inprimis cohortor, cum perſpectum habeam, quantum in ea meditatione inſit momenti.

Eſtque vel ſubſtantiale vel accidentale.

Cum

Cum *Ens* verum diuidatur in *Subſtantiam* & *Accidens*, duas nimirum diſparatas ſpecies, ideo tractatio Subſtantiæ non iiſdem planè inſtrumentis Logicis fuerit inſtituenda, quibus tractatio Accidentis: quocirca diſtinctis ad hanc rem canonibus itidem opus fuerit, quibus doceatur quid commune inter ſeſe habeant tractatio Subſtantiæ & Accidentis, quid etiam peculiare in vtraque ſit notandum.

Vtriuſq; tractatio vel primaria eſt vel ſecundaria.

Vſus & lectio autorum manifeſtè monſtrat non eadem ab omnibus ratione declarari themata ſimplicia: Sunt enim qui iſtâ methodo vehementer delectentur, qua primo ſtatim loco definitio rei eſſent aliis & plena proponitur; deinde partes definitionis ſingulæ reſoluuntur & membratim declarantur: quam tractationis viam etſi non penitus reijciam, perfectam tamen & accuratam agnoſcere non poſſum, ob rationes, quas deinceps ſubijciam: nunc qualis & quænam accurata & primaria ſimplicis thematis tractatio ſit, fuerit tum præceptis, tum exemplis illuſtrandum.

Primaria tractatio eſt, quæ præcognitis definitionis principijs, definitionem tandem ex his colligit, ac reliquos deinde Logicos terminos explicando themati adhibet, iuxta ſequentes canones pertinentes ad explicationem Subſtantiæ.

I. Canon. *Poſt expenſum thematis nomen, & inuentum genus legitimũ, differẽtia vel ex tabulis Prædicamẽtalib. vel ex notabili aliquo thematis ſenſibus noti effectu, ſiue antecedente inquiratur.*

Diſtinximus Canones tractationis in generales & ſpeciales. Generales paulò ante tradidimus, qui ſunt in omni themate tractando obſeruandi. Itaque, ne quis miretur, quod primo ſtatim canone de differentia inquirenda moneamus: cum hinc tractationis ſeu declarationis exordium non ſit ducendum, ſed à nominis ipſius examine, & aſſignatione generis, quæ hic neceſſariò præſupponuntur. Porrò ad inueſtigationem diſ-

ferentiæ nihil est accommodatius tabulis prædicamentalibus, vbi ipsa diuisio generum in species per differentias facta, differentiam paululum ingenioso inuestigatori prompte aperit. Sunt & alij modi, quibus differentia inueniri potest, quos tradidimus *pagina* 239 *Syst. ex* 2. *post anal.*

II. Vbi genus & differentia inuenta sunt, per se definitio colligi & constitui potest.

Distinguitur in Systemate definitio Substantiæ à definitione Accidentis, ita vt peculiaria vtrique præcepta destinentur, & moneatur ad definitionem Substantiarum duos tantum terminos requiri, Genus & Differentiam, quia nimirum Substantia est Ens perfectum, cuius essentia simplicior multo est, & à paucioribus dependet, quàm Accidentis, quod quia est Ens imperfectius, ideo pluribus eget, sicut dici solet; *Quò quidlibet est imperfectius, eò pluribus habet opus.*

Porro nec illud præceptum hic negligendum est, quod paulo ante citata pag. Systematis traditur ex libr. de ANIMA, esse nimirum loco Differentiæ in definitione ponendum ACCIDENS aliquod proprium, quod maximè est manifestum, & cogitationem nostram eleuare potest ad differentiæ interioris, si non lucem manifestam hauriendam, saltem adumbrationem quandam, & prima velut lineamenta animo concipienda: quandoquidem accidentia propria Substantiarum nihil aliud sunt, quàm radij quidam è differentijs sparsi, qui lucem aliquam nobis in tenebroso ignorantiæ carcere hærentibus possint adferre, è longinquo micantes, quo MENS nostra ad ipsum solem differentiæ intuendum nequit contingere: Quamuis & hoc verum sit in multis substantijs, non tam ipsas differentias ignorari, quàm earum nomina, sine quibus tamen eas explicare alijs inter definiendum non possumus: contra verò accidit in proprijs Accidentibus siue effectibus Substantiarum: cum enim ista in sensus incurrant, & idcirco hominibus notiora sint, nomina etiam acceperunt, quibus prompte possint significari.

III. Colle-

III. Collecta ex Genere & Differentia definitione Subſtantiæ, forma eius & materia diſtinctè erit conſideranda.

Genus quidem rationem materiæ obtinet in Subſtantijs corporeis, & differentia formæ, ſed tamen idcirco exiſtimandum non eſt, Genus ipſammet eſſe materiam, aut differentiam eſſe formam, ſicut nonnulli falsò credunt, quem errorem Syſtema refutat p. 58. & 82. Itaque diſtinctè poſt genus & differentiam inueſtigatum cogitandum adhuc eſt de materia & forma, in ijs nimirum ſubſtantijs quæ ſunt compoſitæ, nam in ſpiritibus velle quærere corporis principia, admodum prępoſteri eſt iudicij; In his enim ſufficit conſiderato Genere Accidentia propria ſtatim ſubijcere.

IV. Aſſignetur deinceps forma, eaque, quantum doctrinæ perſpicuitas patitur, declaretur.

V. Materia poſt formæ conſiderationem generaliter expendatur.

VI. Poſt partes integrales, quæ materiam integrant, conſiderentur ſaltem eæ, quæ maximè ſunt principales, & inſtrumenta ad formæ operationes edendas primaria.

Materia & forma in ſubſtantijs corporeis partes eſſentiales dicuntur, quia totum compoſitum per eas in eſſentia ſua abſoluitur: Etſi enim definitio eſſentiam declarat per genus & differentiam, tamen materia & forma in ſubſtantijs eam adhuc magis determinat, & velut conſtringit: dum ſcilicet id tantum menti noſtræ ſubijcit, quod huic compoſito eſt peculiare & non commune cum alijs; quod quidem in definitione per notionem generis exprimebatur: quid autem differant partes eſſentiales ab integralibus, docetur pagina 201. Syſtematis.

VII. Efficiens cauſa principalis & inſtrumentalis, etſi non pertinet ad eſſentiam ſubſtantiæ, conſideranda tamen eſt propter exiſtentiæ notitiam, quod idem etiam de cauſa finali ſtatuendum eſt.

Omni-

Omnino hic nobis quædam præcognoſcenda ſunt de eſſentiæ & exiſtentię diſtinctione in ſubſtantijs: nam in Accidentibus eius modi accurata cogitatione non eſt opus: ſiquidem eorum eſſe eſt ineſſe, i. exiſtere in ſubſtantia. Sic ergo habendum fuerit, Subſtantiarum vniuerſalium, de quarum explicatione hic agitur, eſſentiam totam abſolui partibus illis, quas eſſentiales diximus.

Efficientem autem & finalem cauſam eſſe extra eſſentiam, quia omnis ſubſtantia eſt per ſe, id eſt, habet eſſentiam, quæ non dependet ab vlla cauſa efficiente præſertim creata: quod autem efficientem cauſam in eſſentia ſua non includit, id etiam finalem nõ agnoſcit; quia omnis efficiens ordinatur ad finem, & idcirco finis non eſt, cum efficiens non eſt. Iam verò quia exiſtentia eſt quædam eſſentiæ reſtrictio ad circumſtantias temporum & locorum, ideo nobis eſt notior quam ipſa eſſentia, & idcirco momentum aliquod affert ad eſſentiæ notitiam, vnde & in thematis ſubſtantialis tractatione ſuaſerim exiſtentiæ notitiam captandam eſſe: etiamſi thema vniuerſale exiſtentiam primario & per ſe non includat: Exempli gratiâ, cum tractandum eſt de *Homine*, non debet fieri mentio cauſæ efficientis aut finalis in hominis definitione, quia ad eſſentiam eius conſtituendam iſta nihil pertinent: interim tamen, quia hominis creatio & generatio, quæ ſunt eius cauſæ efficientes, itemque celebratio gloriæ diuinæ, quæ eſt hominis finis, exiſtentiam humanæ naturæ declarant, omnino cauſſarum talium mentio in hominis tractatione neceſſaria eſt.

VIII. Accidentia propria ſiue effectus à forma fluentes, & toti compoſito inhærentes enumerentur.

Dixi, enumeranda eſſe accidentia propria; quia plena & abſoluta ſingulorum tractatio per peculiaria inſtrumenta Logica ſeparatim inſtitui debet, ſecundum Canones, qui poſtea tradentur, de tractando themate accidentali: ſecus ſi fiat, commiſcetur tractatio Subſtantiæ & Accidentis.

IX. Subijciatur deinde diuiſio ſubſtantiæ propoſita ex accidentibus primarijs, ex partibus integralibus, manifeſ-

manifeſtam diſtinctionem inferentibus: & ſi thema ſit genus, enumerentur eius ſpecies, quæ deinde ſuam etiam peculiarem tractationem ſubibunt, ſi ita tractatori ſit propoſitum.

Vſus huius canonis paulò poſt manifeſtus apparebit, in exemplo animalis, quod tractabimus: ibi enim diuiſio erit inſtituenda animalis in MAREM & fœminã, quæ potiſſimum ſumitur ex partibus integralibus generationi deſtinatis: neque enim hæ ſunt diſparatæ ſpecies animalis, ſed tantum determinationes temperamenti & partium, vt multis in locis Ariſtoteles monuit.

X. Cognata ſubſtantiæ propoſitæ addantur.

XI. Diuerſa denique & pugnantia indicentur.

Magna lux infertur tractationi per comparationem cognatorum, vt ex Platone & Ariſtotele docet Syſtema pag. 261. & huc pertinet, quod Ariſtoteles in lib. 3. Rhet. dicit *Contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcere.*

EXEMPLVM TRACTANDI thematis ſubſtantialis.

SIt tractandum thema ANIMAL: 1, nomen perpendatur, quod latinis ab anima, ſeu animando dicitur, appellatione nonnihil latiori; quia anima ſignificat quamuis formam viuentem, quæ etiam plantis ineſt; animalibus autem tribuitur per quandam ἀποχὴν & propter eminentiam: quia anima in ijs manifeſtior apparet ex ſenſu & motu. Dicitur autem anima, quaſi ἀνίμω, Græcâ origine: quia conſeruatio animæ & corporis ἐν ἀνίμῳ, id eſt, in ſpiratione conſiſtit: Græcis etiam generale & latum eſt vocabulum ζῶον, vt & Hebræis *Chaiah*, à vita nimirum originem ducens: quia homines non putant, plantas viuere, ſed animalia tantum.

De ambiguitate verò nominis, vt de concretione vel abſtractione, non eſt hic laborandum: quia ſubſtantiarum nomina & raro ſunt ambigua, & concretionis vel abſtractionis cautelam non ita deſiderant, vt nomina accidẽtiũ. 2, Genus animalis inquiratur, quod reperietur

rietur in tabula Subſtantiæ, ideo non neceſſe fuerit dubitare, an ſit Animal: tum quia tabula monſtrat eius genus: tum etiam, quia ſenſus & experientia id extra dubium ponunt, & Ariſtoteles in præclaris illis 10. libris de Hiſtoria animal. totam hanc rem variis experimentis comprobauit. Eſt ergo genus animalis *Corpus Viuum*. 3, Differentia genus illud reſtringens ex eadem tabula depromatur: ſenſitiuum nimirum. 4, Definitio integra colligatur, quod Animal ſit corpus viuum ſentiens. 5, Materia animalis diſtinctè perpendatur; remota quidem materia ſunt inſtrumenta illa vitæ, proxima autem ſunt inſtrumenta ſenſus & motus, quæ ſimul ſumta corpus animalis dicuntur. 6, Forma conſideretur, propinqua nimirum, quę eſt anima vegetans: proxima verò, quę eſt anima ſenſitiua, quę ex effectibus ſeu proprijs accidentibus toti animali inhærentibus tanquam à poſteriori euidentius percipitur. 7, ad exiſtentiæ documenta accedatur & perpendatur cauſa efficiens, vnde animal exiſtit, quæ eſt vel inſtrumentalis vel principalis. Principalis, eſt formatio fœtus animalis, per quam anima ſenſitiua cum ſuo corpore viuitur. Inſtrumentalis, eſt ſemen, vterus, partus. de quibus omnibus peculiaris & plena inſtitui poteſt tractatio. 8, Finis aſſignetur propter quem tùm ab initio creatum, tum in tempore generatum eſt animal; Vniuerſalis quidem, qui eſt gloria Creatoris: Particularis, nimirum complementum omnium vitæ graduum, atque adeo mundi & creaturarum perfectio, quæ non tantum corpus vegetans, ſed etiam ſentiens requirebat. 9, Accidétia propria animalis ſunt enumeranda, & ſuis cauſſis efficientibus inprimis declaranda: quæ tractatio ad aliud thema pertinet, accidentale nimirum; hic ſufficiat breuiter ea enumeraſſe. Sunt ergo Accidentia propria Animalis vel principalia vel minus principalia: Principalia ſunt tria. 1, Senſus tam internus quam externus. 2, appetitus. 3, inceſſus. Minus principalia ſunt. 1, Reſpiratio. 2, Vigilia, Somnus & Somnum. 10, Partes integrantes materiam ſeu corpus animalis generaliter fuerint expendendæ. 1, Similares, vt ſanguis & reliqui humores, caro, os, neruus, arteriæ; Diſſimilares iterum

diuiduntur

diuiduntur in principales & minus principales. Principales ſunt cerebrum, cor, ventriculus, epar: reliquę deinde quæ has partes vel muniunt, vel connectunt, vel quauis ratione conſtituunt, *minus principes* appellantur. 11, Diuiſio animalis inſtituitur; 1, ex ratione temperamenti & partium in marem & in fœminam: vbi 1, ſigillatim de ſexu maſculino eiuſque proprietatibus ac prærogatiuis, poſtea de fœminino & mixto etiam ſexu androgynorum fuerit docendum. 2, diuiſio inſtituatur in ſpecies; hominem nimirum & brutum, cuius vtriuſque tractatio reijcitur in ſuum locum, ita vt thema generale eiuſq; tractatio omnibus ſuis membris prius expediatur, antequam ſingularum ſpecierum diſtincta plenaque declaratio inſtituatur. 12, Animalis cognata adducantur, vt ſunt plantæ, in primis hæ, quæ ſimilitudinem animalium dicuntur referre, & quibus ſolet diſtinctio ſextus tribui: inprimis autem inſtituatur comparatio τῶν Ζωοφύτων, id eſt, *plantanimalium*, quæ dicuntur mediæ eſſe naturæ inter plantas & animalia, ita, vt quædam etſi non moueantur loco, ſenſus tamen habeant, vt eſt ſpongia & id genus alia. Iſta autem cognatorum COLLOCATIO ſic inſtituti debet, vt non tantum conuenientia animalium cum plantis & plantanimalibus, ſed etiam diuerſitas ſeu diſtinctio indicetur. Denique Pugnantia ſeu oppoſita animalis indicentur, vt ſunt res inanimatæ ſenſu motuque carentes, item venena, quæ animalium vitæ pernicioſa ſunt. Atque hoc eſt exemplum thematis ſubſtantialis generalis: ſi quis plura cupiat, eaque plena atque accurata traditarum ſubſtantiarum exempla, ſcientiam Phyſicam ingrediatur; ea enim ſubſtantijs explicandis, præſertim corporeis, eſt deſtinata; & eſt in compendio noſtro Logico exemplum ſpecialis thematis, quando hominem breui tractatione Logica declaramus.

CAPVT

CAPVT IV.

De tractatione thematis accidentalis.

TAntum de declarando themate perfectò ſubſtantiarum: ſequitur declaratio ſeu explicatio Accidentis.

Diximus ante, præcepta de explicandis ſuſtbantijs omnia diſtincta eſſe debere à præceptis pertinentibus ad explicationem accidentis: quia nimirum hæ duæ ſunt rerum ſiue Entis ſpecies, diſtinctam ſeparatamque naturam Habentes. Iam id inprimis moneo Studioſos Logicæ, vt de Accidentiũ tractatione inprimis ſint ſolliciti, propterea quod in omni cognitionis ac meditationis genere Accidentia frequentius occurrunt, quam ſubſtantiæ, & quod diſciplinæ pleræque in accidentibus explicandis ſint occupatæ, vt tota Matheſis, tota Ethica, Iuriſprudentia, Medicina & Theologia, quæ ſubſtantias rarius attingunt; Accidentia autem tanquam ſibi maximè propria, continuo velut curſu perſequuntur; & id quidem quod de Theologia diximus, nonnihil clarius oſtendamus. Sunt autem tres ſubſtantiæ, quas Theologia attingit, *Deus, Angelus, Homo*: Quod ad Deum, eius tractationem etiam Metaphyſica ſibi vendicat, ita, vt Theologia totam de Deo doctrinam non omnino poſſideat. Idem de Spiritibus dico: Hominẽ vero ſibi Phyſica vendicat: Theologus autem de eius eſſentia & proprietatibus homogenee non agit, ſed ita tantum, vt Medicus de homine aliquid prælibat, quantũ ſuo ſcopo ſufficit: quicquid reliquum eſt in vniuerſa Theologia, id omne conſumitur in Accidentium tractatione, vt miſeria hominis, liberatio, gratitudo.

CANONES TRACTANDI THEmatis accidentalis ſunt hi.

1. *Poſt diligentem nominis conſiderationem, prima cogitatio ſubeat de ordine, ſeu prædicamento propoſiti*

propositi Accidentis, an sit Quantitas, an Qualitas, an Actio, an Passio, an verò Relatio; sic a nimirum simul innotesceret, an Accidens illud reuera sit, an verò sit non ens & fictitium thema.

Longe profectò maior est Accidentium copia, quàm substantiarum. Hinc fit quod omnes substantiæ vnico ordine seu prædicamento potuerint includi: Accidentia vera in varios ordines & plura Prædicamenta disponi necesse fuerit: vnde etiam fit, quod longè difficilior sit inuestigatio generis Accidentium, quam Substantiarum: Porrò omne accidens vel absolutum est vel relatio; ideo circa cogitationem generis prima hæc sit meditatio, *an propositum thema sit absolutum, an sit relatio:* siquidem relationum explicatio nõnihil diuersa est ab explicatione absolutorũ accidẽtium, & est etiam magna vbiq; relationum copia, præsertim in duab. istis summis facultatibus Theologia & Iurisprudentia; quarum præcipua themata sunt relationes: & denique etiam, quia relationum est debilissima natura: ità, vt subtiliori & accuratiori mentis meditatione hic opus sit: Inter absoluta autem accidentia rarius sub meditationem cadit Quantitas, rarò etiam passio: frequentissimè Qualitas, & actio. Itaque ad hæc duo accidentium genera ingenij sui curam studiosus Logicæ potissimum conferet.

II Genere posito, subiect. Accid. constituatur, simulq; consideretur sit ne cõmune an propriũ accid. quod tract. siquidẽ propriorum diuersa est explicatio, & diuersa itidem communium: quocirca accidens semper ad suum primum & adequatum subiectum debet reduci, vt ex Communi propriũ fiat.

Duo in hoc canone docemur valde necessaria ad accidentis doctrinam, prius est, quod subiectum propositi accidentis sit principium tractationis, quod Aristoteles in Poster. Analytic. aliquoties inculcat: siquidẽ omne accidens totũ id quod est, debet suo subiecto, quo velut fulcro sustentatur, alias in nihilum abiturum. Cum ergo res omnis per id cognoscatur, per quod est, dicente

dicente Philosopho 2. libro Met. capite tertio. Vt se res habet in esse, ita etiam in cognosci, idcirco sine subiecti præcognitione accidens cognosci est impossibile. Altera canonis admonitio est de distinctione illa Logica accidentis in commune, & proprium, & de reductione communis accidentis ad proprium: nam vt accidens commune subiectum adæquatum non habet, dum commune manet, ita adæquatas & immediatas causas, per quas cognoscatur, difficulter poterimus inquirere: Porro cum principium illud Philosophi certum sit, *Commune quod est per Accidens potest reduci ad aliquid quod est per se*; ideo hæc laudatissima erit, & valde necessaria accurati ingenij exercitatio, propositum commune accidens reuocare ad subiectum primum & adæquatum, atque ita ex communi facere proprium. Sed hic scrupulus non exiguus injici nobis potest, cum sint disparatæ species, Accidens commune & proprium, quomodo dicere audeamus, commune ad propriam reduci debere & posse. Sed Resp. quam diu accidens manet commune, id est, per varia subiecta sparsum, non posse fieri proprium, sed semper illam suam communitatem retinere: cum autem consideratur Respectu sui primi, quo mediante reliquis tam multis subiectis communicatur, tum Respectu vnius illius subiecti cui primò inest & immediatè, posse proprium fieri; id quod valde euidens est in corporibus naturalibus, quæ ordinem eiusmodi inter sese habent; vt vnum corpus ad plurimorum corporum compositionem concurrat, atque ita sua Accidentia omnibus istis communibus corporibus quæ componit, communia reddat, interim tamen primariò illa sibi seruet Tanquam propria, id est, immediatè inhærentia; quia nimirum alijs non ita communicantur, vt suum primum subiectum deserant, sed in illo permaneant; alijs autem tribuantur propterea, quia illud primum subiectum illis omnibus inest, ita vt hoc mediante, alijs etiam tribuantur· exempli gratia, Calor Dicitur commune Accidens omnium corporum mixtorum; at verò primum & immediatum eius subiectum est ignis: sed quia iste ignis corporibus omnibus mixtis inest, ideo etiam calor illis

illis ineſt communiter, ſed per ignem, cui primò ac propriè ineſt. Sic color commune Accidens eſt metallorum,, plantarum, Animalium, cum tamen interim corpus mixtum quà mixtum, quod his omnibus ineſt, ſit eius proprium ſubiectum.

III. Quia relatio verſatur inter duo ſubiecta quorum vnum dicitur relatum, alterum correlatum, ideo vtriusque aſſignatio in explicanda relatione fuerit inſtituenda.

Diuerſam eſſe relationis Naturam ab abſolutis accidentibus ante monui, & hæc diuerſitas etiam nobis hunc canonem ſuggeſſit, monentem de duplici ſubiecto, inter quod hæret relatio. Sic coniugium ſi explicandum ſit, Neceſſariò conſiderandus fuerit maritus & vxor; quia his duobus ineſt vnica illa coniugij Relatio, & inter hæc duo verſatur, velut inter duos cardines, quorum vnus relatum Dicitur, alter correlatum.

IIII. Obiectum deinceps cogitetur, circa quod accidens eſt occupatum, dominantur autem obiecta in qualitatibus & actionibus.

Quid ſit obiectum & quanti referat eius Naturam in accidentium explicatione noſſe, docuimus pag. 206. Syſt. nimirum qualitates & actiones ab obiectis ſuis determinationem accipiunt, & per eadem diuiduntur, docente Ariſtotele 2. libr. de Anima, 4. 13. In quantitatibus autem, paſſionibus & relationibus Obiecti conſideratio ceſſat.

V. Cauſa efficientes principales inueſtigentur: 1, quidem remotiores & propinquæ: deinde, inprimis proximæ.

Illud Ariſtotelis grauiſſimum philoſophema, *Scire eſt rem per cauſa cognoſcere*, ad accidentia pertinet potiſſimum: hæc enim ſuis ſubiectis accidant, non per ſe metipſa, ſed per cauſas efficientes: idcirco mens noſtra nunquam poteſt acquieſcere, in accidentis alicuius cognitione, niſi cauſam exploratam habeat, per

& propter quam accidens illud ſubiecto accidat; quod inprimis intelligendum eſt de cauſa proxima, cuius inueſtigandæ præcepta dedimus pag.152.Syſtem.

VI. In relationibus inquirendum eſt Fundamentum, quod à cauſa proxima non differt.

Quia relationum alia eſt natura quàm accidentium abſolutarum, ideo diuerſis etiam terminis vtimur ad eam explicandam; & quod in accidente abſoluto dicitur *cauſa efficiens*, id in Relationibus vocatur *Fundamentum*, qua de re monuimus vberius pag.343.Syſtematis.

VII. Poſt hæc finis accidentis aſſignetur, qui potiſſimum etiam dominatur in qualitate & actione.

VIII. In relationibus verò terminus inquiritur, qui idem eſt cum cauſa finali.

IX. Definitio accidentis deinceps conſtituatur, pro cuiuſq; prædicamenti natura, præter genus aſſignando terminos eſſentiales, nimirum ſubiectum, obiectum, cauſam efficientem & finalem.

Duo circa hunc canonem perpendenda erunt, quod magna ſit diſcrepantia in definitionibus Subſtantiarum & Accidentium: nam in Subſtantijs generi tantum additur vnus terminus, videlicet, differentia ſpecifica; ſed in Accidentibus plures neceſſariò aſſumendæ ſunt, propter imperfectionem & imbecillitatem accidentis, quod pluribus fulcris eget, vt ſubſiſtat. 2.notetur, nec eoſdem, nec æquè multos terminos eſſe aſſumendos in omnium accidentium definitione; ſed diſcrimen hic eſſe cautè obſeruandum, quod ſecundum diuerſa accidentium prædicamenta canonibus pluribus diligenter indicauimus pag.241.Syſtematis.

X. Sæpe etiam Antecedentia, connexa, circumſtantiæ, & conſequentia ſunt enumeranda, quando nimirum propoſitum thema eſt Actio vel Paſſio.

Iam ante id ſubmonui, diuerſorum prædicamentorum

rum accidentia, diuersà etiam nonnihil instrumentorum Logicorum vsurpatione tractari. hinc est, quod qualitates antecedentium, circumstantiarum mentionem non postulent, quam exigunt Actiones & Passiones, vtpote quæ ad singularium naturam propius accedunt.

XI. Effecta propositi Accidentis distinctim enumerentur.

XII. Diuisio addatur vel in species, si propositum accidens sit Genus, vel in alia membra accidenti congruentia.

Quod supra monui de diuisione thematis substantialis, videl. si genus sit, enumerandas esse eius species, non autem in ipsâ generis tractatione plenè explicandas, sed differendas, dum reliquis instrumentis Logicis tractatio generis sit absoluta: idem etiam hic tenendum est de diuisione accidentis; vt, exempli gratia, si tractetur thema SACRAMENTVM; faciendæ quidem erit diuisio in species, enumerando Cœnam Dominí & Baptismũ; sed explicatio Cœnæ Domini & Baptismi non erit miscenda generali tractationi Sacramenti, sed factâ conuenienti ἀποδιαξει, siue reiectione, tam diu differenda ea explicatio, dum per reliqua Logica instrumenta generalis Sacramenti natura fuerit explicata. Ita etiam si VIRTVS sit explicanda, non debent in generali eius tractatione singulæ virtutis species pertractari; secus enim magna oritura est confusio diuersorum thematum.

XIII. Cognata deinceps subijciantur, siue ea quæ cum proposito themate naturæ quandam affinitatem habent.

De instrumento Cognatorum duo tenenda sunt; ac primò quidem id, quod modò monuimus de Diuisione scil. non esse plenam instituendam Cognatorum thematum explicationem; sed sufficere breuem comparationem, quæ fit enumerando coniugata, & ostendendo eorum similitudinem siue conuenientiam cum proposito themate; vt, si tractandum sit de Sacramento, enumerandum est thema cognatum, ver-

bum nimirum Dei & miracula, & ostendendum breuiter, in quibus hæc inter se conueniant, non autem plena tractatio instituenda vel verbi vel miraculorum: Alterum est quod moneo de cognationis quadam amplificatione facienda; Vt nimirum non enumeretur tantum, quid themati absolute sit cognatum, sed etiam quid eius Subiecto, Obiecto, Causis & Effectibus simile sit & quadam comparatione affine: quæ amplificatio explicationis libera cuique relinquitur, velitne eam instituere an non, cum præsertim ad frugalem explicationis necessitatem non videatur requiri.

XIV. Diuersitas, quæ est inter themata cognata indicetur.

Vt e. g. cum enumerata sunt cognata Sacramenti, Verbum Dei & miracula, consequens est, vt diligenter indicetur, quot & quibus modis Sacramenta differant tum à Dei verbo, tum à miraculis: vt autem non omnia themata habent sua cognata, vel saltem non in omnib. ea necesse est enumerare, sed in ijs tantum, quæ habent manifestum periculum confusionis: ita etiam non vbiq; necesse est diuersa siue discrepantia thematis enumerare, sed tum solummodo, cum cognata enumeramus; quia omnis diuersitas cognationem præsupponit.

XV. Oppositæ seu pugnantia addantur.

De speciebus oppositionis vlt. c. l. 1. Systema. copiosè tractatur; idcirco inde repeti debet, quicquid ad Iudicium oppositionis requiritur; etenim in nonnullis priuatiua opposita sunt enumeranda.

Contraria autem enumerari non possunt in omnibus, vt si tractandum sit de luce, non est cogitandum de Contrario, sed de priuatiuo, videlicet de tenebris: Sic, si agendum sit de morte, tractatio thematis finietur in enumeratione priuatiui, mortis videlicet. Contra verò si tractandum sit de alijs qualitatibus & actionibus, vt de virtute, de calore, de siccitate, non de priuatiuis fuerit cogitandum, sed de contrarijs, videlicet de vitio, de frigore, de humore. Atque ita priuatiuorum & contrariorum potissimus est vsus in thematis accidentali tractatione, non item

contra

contradictoriorum aut disparatorum, aut relatiuè oppositorum. Horum enim mentio inter tractandum aut rara fit, aut nulla, sed tacitis potius cogitationibus ista præsupponuntur. Porrò, quod de cognatis dixi, posse eorum indicationem prolixiorem reddi; idem etiam de Oppositis moneo: nam & generis & causarum, & Subiecti, Obiecti, atque effectuum opposita possunt enumerari: vt, si tradendum sit de fide, enumeratur eius contrarium Infidelitas; sed si quis cupiat prolixiorem explicationem, poterit etiam enumerare, quid opponatur causæ efficienti fidei, nimirum humana facultas & liberum arbitrium; quid item eius effectibus, nimirum tristitia, desperatio, odium Dei & proximi: quid denique eius diuisioni aduersetur, nimirum, illa falsa diuisio Scholasticorum, quod fides alia sit formata, alia informis. Atq; hi sunt explicandi accidentis Canones; Consequens est, vt præcepta exemplorum luce illustremus.

EXEMPLVM ACCIDENTALIS thematis.

Inuocatio Dei.

1. SIt primum thema accidentale, *Inuocatio*. 1. Nomen considerandum est, nimirum, an sit absolutum an concretum; & absolutum quidem esse ipsa terminatio indicat, vbi quidem diducendæ explicationis causa addi possunt voces synonymicæ, Hebrææ, & Græcæ, quæ passim in Lexicis reperiuntur.

2. Postea genus inquirendum, quod reperietur in ordine seu prædicamento Actionis; quod nimirum *Inuocatio sit actio religiosa.*

3. Subiectum huius actionis erit constituendum, *Homo nimirum fidelis*; nam hoc Subiectum nominatur Rom. 3. 1. Tim. 2. & 1. Ioh. 3.

4. Obiectum est indicandum, ac primò quidem id, ad quod Inuocatio dirigi debet, nimirum *tota Trinitas & Pater Domini nostri Iesu Christi per Filium reconciliatus*, Iohan. 4. & Actor. 4.

Deinde, alterum obiectum, Res petendæ, quæ sunt,

vel corporales, quæ cum conditione; vel *spirituales*, quæ sine conditione petuntur: Denique obiectum, pro quo petendum est, nimirum, *pro nobis & pro alijs*, 1. Ioh. 5.

5 Causa efficiens tam principalis quam minus principalis consideretur: principalis quidem est *motus fiduciæ excitatus à Spiritu sancto, per autoritatem & meritum Christi mediatoris*, Iohan. 4. Romanor. 6. & 8. causa προκαταρκτικὴ est tum Dei mandatum, tum benigna exauditionis promissio, Ioh. 16. Psalm. 50. προηγαμένη seu internè mouens *est sensus indigentiæ nostræ, nec non & recordatio beneficiorum ante a Deo acceptorum*: Instrumentales autem causæ sunt tum *formulæ precandi a Christo præscriptæ*, vt inprimis, *Oratio*, quæ vocatur, *Dominica*, tum membra interna, vt Cor, tum externa, vt lingua, oculi, manus, genua, quorum vsus tamen est liber.

6. Assignandus est finis, nimirum *impetratio beneficiorum spiritualium, aut corporalium; Itemque Dei pro acceptis beneficijs glorificatio.*

7 Colligatur integra definitio, *Inuocatio est actio siue operatio religiosa ex motu fidei per Spiritum S. accenso, fiducia & authoritate meriti Christi mediatoris, instituta ab homine fideli, & ad Deum in filio propitium directa, pro impetratione bonorum necessariorum, & nominis diuini glorificatione.* Damascenus l. 3. Orthod. fidei, cap. 24. *Inuocationem dicit esse ascensionem mentis ad Deum.* Thomas in secundæ parte Summæ, dicit *esse actum rationis Deum vt primum efficientem & vltimum finẽ agnoscentis, & voluntatis desiderium explicantis*: sed hæ sunt descriptiones nimis generales & latæ.

8 Propria accidentia seu requisita Inuocationis perpẽdantur: ex quibus 1, est, *vt fiat sine dubitatione in vera fide*, Iacob. 2. Secundum, vt dirigatur ad Dei voluntatem, 1. Iohann. 5. Tertium, *vt sit deuota quoad internos motus*, & simul etiam quoad externos gestus, si illi adhiberi possint. Quartum, *Ne festi et, & Deo modum aut terminum præscribat*, Esa. 28. Denique, *Verbis concipiatur breuibus, sine vlla orationis profusione ac redundantia.*

9. Effecta enumerentur, *vt est vnio cum Deo*, sicut inquit Isidorus, *Qui vult esse cum Deo, frequenter oret.*

Secundò,

Secundò, mentis lætitia atque consolatio. Tertiò, Impetratio bonorum necessariorum.

10 Nominentur *circumstantiæ*: 1, loci, qui in nouo Testamento liber est, Iohan. 4. nimirum vel publicus vel priuatus, quem Christus iubet esse solitariũ, ne preces nostræ ad hypocrisin spectare videantur. Circumstantia temporis etiam libera est, nisi quod sanctis viris consuetum est certas horas, matutinas nimirum & vespertinas inprimis ad exercitium precandi delegere.

11. *Connexa inuocationis* declarentur, vt *vitæ puritas, sobrietas, & Diaboli tentationes*, quæ plerunque solent cogitationes piorum turbare & aliò trahere, ne in rem præsentem sint intentæ, quibus idcirco gnauiter est resistendum.

12 *Diuisio inuocationis* subijciatur ex circumstantia quidem loci, quod alia sit publica, alia priuata: Et ex obiecto, quod alia sit δέησις, alia προσευχὴ, alia denique ἔντευξις, vt diuidit Apostolus. 1. Tim. 1.

13. *Cognata* sequantur, vt sunt diligens lectio Scripturæ, & meditatio rerum sacrarum; Item diligentia & assiduitas in obeundis muneribus suæ vocationis.

14 Denique *pugnantia* addantur, vt est conscientia læsa, vita polluta, dubitatio de exauditione, profanitas & contemtus diuinorum, denique blasphemia & execratio nominis diuini.

ALIVD THEMATHEOLOgicum,
DE FIDE.

PRimo Nomen consideretur & eius Etymologia, siue notatio iu tribus cardinalibus linguis. Iam in Latina, *Fides*, Cicer. teste dicitur q. *fies*; quia fiat id, quod dicitur & promittitur, ducta nimirum notatione à caussa efficiente fieri, eamque confirmante, nimirum, constantiâ & veritate in promittendo, & promissis seruandis. Græcis dicitur πίστις à πιστεύω, quod verbum significat quandam confirmationem ductam ex alterius certa persuasione, Hebræis *Oman* & *Emunah*, à radice *áman*, id est, fidelis fuit, inprimis circa nutritionem.

Post Etymologiam considerentur ambiguitates vocabuli: nam etsi propositum thema habeat additam determinationem eiusmodi, vt facile ab ambiguitate & incertitudine significationis sit liberum, dum dicitur *Fides salutifica*: tamen quia ob defectum vocabulorum specialis hæc fides essertur nomine generali; idcirco operæprecium est, generalis istius vocabuli, fidei nimirum, significationes varias perspectas habere, eas nimirum, quæ in sacris Literis frequentantur: quæ quidem significationes sunt tropicæ, μετωνυμικὰι aut metonymiam continentes: primo, fides sumitur pro imagine siue simulacro quodam saluificæ fidei seu professione externa, sterili tamen & infrugifera, vt Iacob. 2. vers. 24. *Videtis igitur ex operibus iustificari hominem & non ex fide tantum.* Secundò, pro fidelitate in faciendo officio, Tit. 2. vers. 10. *Omnem fidem ostendentes.* Tertio, pro securitate libertatis Christianę in rebus adiaphoris, Rom. 14. v. 22. *Tu fidem habes.* 4, Pro zelo in Christiana religione, Rom. 1. v. 8. *Fides nostra annunciatur in toto mundo.* 5, Per metonymiam causæ efficientis, more Hebræo, pro veritate & iustitia, Ps. 86. v. 16. *Tu Domine, multus es fide,* & Psal. 119. v. 75. *Te in fide affixisse me.* Rom. 3. v. 4. *Num infidelitas ipsorum Dei Fidem inanem reddat?* 6, Per obiecti metonymiam pro doctrina fidei inter gentes, id est, ad assensum doctrinæ per Christum traditæ: similiter vsurpatur Eph. 4. v. 5. 1. Tim. 1. v. 19. Denique eadem Metonymia significat etiam euentum seu complementum diuinarum promissionum ad Gal. 3. v. 25, *Antequam venisset Fides, sub legis præsidio tenebamur,* h. e. antequam promissiones & typi V. Test. complerentur ipso euentu, adhuc tenebamur legis ceremonialis obseruatione: nec prętercunda est ea significatio fidei, quâ Apostolus vtitur 1. Tim. 5. v. 12. cum dicit *Damnandas esse viduas, quæ primam Fidem reiecerint.* Vbi fidem vsurpat metonymiam effectus pro obligatione ad certum officij & administrationis genus in Ecclesia. Post hæc synonymę appellationes colligantur, quibus Scriptura fidem eam saluificam solet indigetare, vt est πληροφορία, q. d. plenitudo fiduciæ, Roman. 8. & alibi apud Paulum, cui q. proprius est hic terminus.

Item

Item πληροφορία, h.e. confidentia, 2. Corinth. 3. & Philippenſ. 3. Item, παρρησία, Epheſ. 3. 1. Theſſa. 2. Hebr. 4. 1. Iohan. 2. 3. 4. & 5. Cum dicitur 2. παρρησία, q. πᾶν ῥῆσις, talis nimirum animi fiducia, quâ quicquid corde conditum eſt, licet liberè proferre & effundere. Poſt expenſum ita vocabulum ſuis Etymologijs, ambiguitatibus & ſynonymis, accedatur ad inueſtigationem generis; reperitur autem Fides in prædicamento ſeu tabula Qualitatis, ſub genere Notitiæ, ſiue aſſenſus, qui ſpeciem quandam habitus ſubinfert: & in genere quidem fides ſumitur Philoſophis pro aſſenſu concluſionis argumento inartificiali teſtimonij probatæ, ſicut ex doctrina Græcorum, quam pagina 505. Syſtematis citauimus, Melanchthon deſcribit; *Fides*, inquit, *eſt notitia propoſitionum quas amplectimur aſſenſu propter aſſeuerationem teſtium.* Atque generaliter ita ſumpta Fides diuiditur in duas ſpecies; quarum vna poteſt dici *Communis*, rerum videlicet humanarum, altera verò *Sacra*, quæ nititur teſtimonio & autoritate diuina. Sacra fides iterum in tres ſpecies diuiditur, *hiſtoricam*, *miraculorum*, & *ſaluificam*. Hiſtorica fides iterum eſt vel perfectior vel imperfectior: Imperfectior eſt nudus aſſenſus concluſionum, quæ traduntur in ſacris literis, ſine cordis motu ac lætitia vlla, de qua Iacob. 2. *Diaboli credunt & contremiſcunt*: perfectior autem fides hiſtorica, non tantum eſt nuda notitia ſiue aſſenſus, ſed continet etiam affectum quendam cordis & lætitiam ex affectu Euangelij perceptam; ſed non ſolidam nec durabilem, verum temporariam, & generali Spiritus S. operatione effectam in hypocritis, de qua fide temporaria loquitur Chriſtus Matth. 13. v. 21. & Luc. 18. v. 13. *Fides miraculorum* eſt certa perſuaſio de futuro aliquo effectu miraculoſo, concepta ex reuelatione & promiſſione ſingulari, interim per ſe ad ſalutem non conducens: de qua Apoſtolus 1. Cor. 13. v. 2. *Si habeam totam fidem*, Matth. 17. v. 20. *Si haberetis fidem, quantulum eſt granum ſinapis.* Denique eſt *fides ſaluifica*, ſiue *iuſtificans*, de qua nobis inſtituta eſt tractatio, & cuius genus proximum eſt aſſenſus fiducialis.

Poſt

Poſt inueſtigatum genus, ſubiectum videamus. quod ſi abſolutè ſpectetur, ſunt electi, vt expreſsè dicitur Act. 13. v. 48. *Credebant quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Et ad Tit. 1. v. 1. *fides eſt electorum.* Reſtrictum vero ſiue limitatum Subiectum eſt intellectus ſimul & affectus, qui per Metonymiam *Cor* dicitur in Sacra Scriptura, vt Roman. 10. *Corde creditur:* Act. 16. *Deus fide purificauit corda.* Epheſ. 3. *Inhabitat Chriſtus per fidem in cordibus veſtris,* & Hebr. 13. *bonum eſt gratia confirmari cor:* nimirum, cor eſt inſtrumentum ſpirituum, qui affectus concitant, ita, vt circa cor potiſſimum motus affectuum ſentiatur, vnde Scriptura captui hominum ſeſe accommodans, huic membro fidem & reliquos ſpirituales motus attribuit.

Poſthæc de obiecto fidei dicendum eſt, quod eſt vel immediatum, vel mediatum. Mediatum eſt Deus in filio ſeſe reuelans, & ipſe filius ſaluti noſtræ effector. 1. Petr. 1. *Qui creditis in Deum.* 1. Iohan. 5. *Qui non credit Deo, mendacem eum facit.* Rom. 4. & Galat. tertio, *Credit Abraham Deo.* De filio Dei ſonant hæc dicta Ioh. 3. v. 36. *Qui credit in Filium Dei.* Actor. 16. *Crede in Ieſum Chriſtum.* Actorum 20. *Paulus docuit fidem quæ eſt erga Dominum Ieſum.* 1. Iohan. tertio. *Hoc eſt præceptum eius, vt credamus nomini Filij eius.* Immediatum obiectum iterum eſt vel commune vel proprium. Commune eſt omne verbum Dei. Hebræor. 11. verſ. 3. *Per Fidem intelligimus conſtructum eſſe mundum.* Proprium verò & determinatiſſimum ſaluificę Fidei obiectum, à quo veluti ſpecificam differentiam nanciſcitur, eſt certa ſpecies verbi diuini, nimirum promiſſio gratię, ſiue remiſſionis peccatorum per ſanguinem Chriſti paratæ. Romanor. 4 verſ. 5. *Et qui non operatur, ſed credit in Deum, qui iuſtificat impium,* &c. & verſ. 16. *Propterea ex Fide eſt* (ſc. hæreditas) *tanquam per gratiam, vt firma ſit promiſſio.* Galat. tertio, verſ. vigeſ. ſecundo, *Concluſit omnia ſub peccatum, vt promiſſio ex Fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.*

Sequitur, vt cauſſas fidei enarremus. 1, quidem efficientes, poſtea finales. Cauſa efficiens fidei vel principalis eſt; vel inſtrumentalis; Et principalis iterum vel communis

communis & remotior, vel ſpecialis, & propior. Ac generalis quidem cauſa Deus à Scriptura nominatur, 2. Petr. 1. 1. Iohan. 5. inprimis Romanor. 12. *Prout cuique Deus partitus eſt menſuram Fidei.* Epheſ. 2. verſ. 3. *Gratiâ Dei ſeruati eſtis per Fidem: non ex vobis, Dei donum eſt* Hinc eſt quod Scholaſtici & multi ex pontioribus etiam Theologis fidem vocant *habitum* ſeu *virtutem infuſam*, & Thomas Aquinas *virtutem* vocat *Theologicam*, propterea quod à Deo detur. Specialis vero & propriae cauſſa fidei eſt Spiritus Sanctus in electis efficax, Rom. 12. & 1. Petr. 1. *Vt ſpem & fidem habeatis erga Deum, qui animas veſtras purificaſtis obedientia veritatis per Spiritum ſanctum.* 2. Cor. 4. *Quoniam habemus Spiritum Fidei*: & cap. 5. *Nemo poteſt Chriſtum dicere Dominum ſine ſpiritu.* Porro idem qui eſt cauſſa efficiens dationis fidei, vt ſic loquar, eſt etiam cauſa conſeruationis & perpetuitatis fidei: 2. Theſ. 3. *Non eſt omnium fides: ſed fidelis eſt Dominus, qui ſtabilit.* Philip. 1. *Is qui cœpit in vobis opus bonum.* 1. Cor. 3. *Qui & confirmabit vos vſque ad finem.*

Inſtrumentum fidei vel commune eſt vel proprium: Commune eſt tum verbum, tum miniſtri annunciantes verbum. De verbo loquitur Paulus Rom. 10. *Fides ex auditu, auditus per verbum*, &c. De miniſtris idem Paulus teſtatur 1. Cor. 3. verſ. 5. *Miniſtri*, inquit, *per quos credidiſtis.*

Proprium verò & determinatius inſtrumentum eſt vel ordinarium vel extraordinarium. Ordinarium, eſt doctrina Euangelij, Roman. 1. v. 3. vel Sacramenta. Roman. 4. verſ. 11. *ſigillum iuſtitiæ Fidei receptæ.*

Extraordinarium vero & ad certum tantum tempus durans fidei inſtrumentum, ſunt miracula, Iohan. 20. v. vlt. *Hæc ſigna ſcripta ſunt, vt credatis.* Ad cauſas efficientes minus principales pertinent etiam προηγουμένη & προκατακτικὴ, quæ cauſam principalem mouent ad efficiendum.

Προηγουμένη ergo fidei, eſt electio ad vitam æternam ſecundum gratuitam Dei beneuolentiam, Actor. decimoterrio. *Credebant quotquot erant præordinati*, Matth. vndecimo, verſ. 26. & Epheſ. 1. vt & Philip. 1. verſ. 29.

προ-

Προσπαθητικὴ, est meritum & intercessio Christi, 1. Cor. 1. Rom. 8.

Sequitur Finis, qui est respectu Dei, vel nostri. Respectu Dei, est gloria misericordiæ per fidem agnoscenda & celebranda. Ephes. 1. vers. 12. 1. Iohan. 1. Respectu nostri seu electorum, finis est vel propinquus vel remotus. Propinquus est Iustificatio, Rom. 10. *Corde creditur ad Iustitiam.* Roman. 4. Galat. 3. Ephes. 2. Remotior finis est salus Electorum, seu vita æterna, Hebr. 10. vers. 39. & 1. Petr. 1. vers. 9. *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum.* Genere ita & causa inuestigatis, integra definitio colligatur: *Fides salutifera est assensus fiducialis promissionis gratiæ per Christi meritum partæ, ad quem vis electum specialiter apprehendum, per S. S. specialem operationem, ad consequendam Iustificationem seu remissionem peccatorum.*

Propria accidentia fidei sunt hæc: 1. fides habet additam perpetuam relationem ad Christum, remissionis peccatorum autorem: etenim duo sunt in fide inprimis distinguenda: 1. Qualitas, 2. Relatio. Qualitas, quatenus talis est, etsi à Spiritu sancto infundatur, tamen nudè considerata, Iustificationis causa esse non posset, nisi causandi vim & aptitudinem acciperet ex prædicamento Relationis; quia illa qualitas ad Christum eiusq; meritum directè ordinatur, atque fertur.

Simile quid accidit etiam alijs instrumentis, quæ causandi vim, non ab ipsa sua substantia & genere accipiunt, sed ab externa dispositione & figura ad naturam ipsorum accedente. Exempli gratiâ, securis non habet vim secandi præcipuè à ferro, quatenus ferrum est: aliàs enim omne ferrum secaret: sed obtinet præcipuè istam secandi potentiam à dispositione seu figura & forma externa extrinsecus ferro addita. Atque huc pertinet dictum Apostoli. Hebr. 12. vers. 2. *Intuentes*, inquit, *in fidei ducem & perfectorem Iesum*, id est, in obiectum illud perfectum, ad quod fides ordinata accipit ἐνέργειαν iustificandi: & Ephes. 3. vers. 12. inquit Apostolus, *habere nos aditum cum fiducia per Fidem ipsius*, scilicet Christi, id est, per fidem, quæ vim iustificandi accipit à suo subiecto, videlicet Christo.

II. Fides suâ naturâ est applicatiua, id est, non subsi-

stit

stit tantum in *Sorte*, sed promissionem gratiæ trahit ad hypothesin, i. ad illud subiectum cui inhæret 1. Pe. 2. v. 7. *Vobis est pretiosum, qui creditis.* & Act. 15. vers. 11. *Per gratiam Iesu Christi credimus nos seruatum iri sicut & illos.*

III. Quod necessario sit efficax per bona opera, mirum charitatem Dei & proximi, Galat. 5. vers. 6. *Fides per charitatem efficax.* Cum enim fides sit habitus, omnis autem habitus sit potentia, omnis vero potentia naturę suæ consummationem demum consequitur in actionibus, vt multis in locis Aristoteles testatur, idcirco fides etiam tum demum absolutum & perfectum naturam habebit, cum in actum producitur, præsertim cum eius causa proxima, vt ante diximus, sit specialis operatio Spiritus sancti, qui Spiritus vbi est, simul efficit sanctificationem, seu studium bonorum operum. Vnde diuus Iacobus capite 2. suæ Epistolæ, *Fidem sine operibus dicit esse mortuam & cadaverosam*: non quod bona opera & charitas sint forma fidei, & à priori eam constituant: vt præposterè Pontificij sentiunt: sed quia defectus operationum arguit veram essentiam fidei non adesse, non secus ac vita siue sensus & motus in animali, etsi non sit forma eius, nec illud à priori constituat; si tamen absit, certum est iudicium formam abesse.

IV. prop. Fidei est, quod etiam apprehendat res quę non videntur, quæque plane insensibiles sunt, & iudicio humano impossibiles perhibentur, Hebr. 11. vers. 1. *Demonstrat fides quę non videntur*: & Rom. 4. vers. 18. *Abrahamum Fide fultum credidisse contra spem in spem.*

V. Fides salutifica est vna. Hanc proprietatem Paulus de fide enunciat, Ephes. 4. vers. 5. *Vna est fides*; vbi quidem intelligi non debet identitas graduum, quasi in omnibus æquè efficax aut excellens sit, sed vnitas causarum & obiecti.

VI. Semel data non potest amitti, 1. Iohan. 3. ver. 9. *Semen Dei in vobis manet.* Roman. 8. vers. 35. *Quis nos separabit à dilectione Dei?* Hæc autem proprietas intelligi non debet de amissione graduum, sed de plenaria amissione qualitatis: gradus enim sæpe in electis minuitur, propter peccata nimium grauia, Spiritum sanctum contristantia, & conscientiam sauciantia, vt in Dauide

& Pe-

& Petro manifeſtum eſt.

VII. & vltima propr. capit incrementum & augeſcit fides Verbo, Sacramentis & Cruce, 2. Theſſ 1.v.3. *Gratias agite Deo, quod vehementer augeſcat Fides veſtra* & 1. Pet. 1. v. 7. *Exploratio Fidei veſtræ pretioſior auro*: atque hæc proprietas inprimis notanda eſt propterea, quod fidei naturam, præſertim vt in electis in hac imbecillitate humana eſſe conſueuit, euidenter explicet & declaret illud Theologorum, *Fides imbecillis etiam eſt Fides.* Sicut enim tepor eſſentiam & definitionem caloris totam habet, etiamſi non habeat eum caloris gradum, vt feruor dici poſſit; ita etiam languidiſſima fides, qualis ſæpe eſt in electis, veram & totam habet eſſentiam, etiamſi gradus eminentiâ careat: Eſſentia enim non recipit gradus; idcirco gradibus minui aut aboleri nequit. Hinc eſt quod Pater dæmoniaci illius apud Matth. 17. ait, *Se credere, & interim petit ſuccurri imbecillitati ſuæ.*

Tantum de fidei proprietatibus: ſequuntur eiuſdem effecta; quorum quædam ad nos pertinent, quædam ad alios.

I. Effectus eſt, quod fides nos reddat Deo placentes, Hebr. 11. ver. 6.

II Eſt, quod iuſtificet & quidem ſola, Rom. 4. verſ. 4. Epheſ. 2. v. 8. quando autem dicitur, *eam ſolam iuſtificare*, non fit excluſio cauſarum principalium, quæ ad iuſtificationem efficacius concurrunt, quàm ipſa fides, ſed excluduntur tantum alia putatitia inſtrumenta, inprimis opera, vt diſertè apparet ex citato loco Eph. 2.

III. Quod per fidem reddamur certi de noſtra electione, Romanor. 11. verſ. 20. Corinth. 1. ver. 24. Gal. 5. verſ. 5. Hebr. 6. verſ. 12.

IV. Quod per fidem regeneremur ad ſanctitatem, & obedientiam nouam, Epheſior. tertio, verſu 17. Act. 15. verſu 9.

V. Per fidem vnimur Chriſto ita, vt is in nobis ſit, nosque eius membra conſtituimur, Epheſior. tertio, verſu 17. *per fidem habitat Chriſtus in cordibus veſtris*, &c. Ioh. 6. ver. 35.

VI. Fides dat tranquillitatem conſcientiæ, certos nos

nos reddens de gratia Dei, deque vita æterna. Roman. 5. versu. 1. *Iustificati Fide, pacem habemus cum Deo.* Ephesior. 3. versu 12. *Habemus accessum per Fidem.* Similia loca sunt Rom. 8. ver. 16. 1. Ioh. 5. Tit. 3.

VII. Fides regit inuocationem Dei, deque exauditione certos reddit. Rom. 10. ver. 14. Eph. 3. ver. 12.

VIII. Fide vincimus tentationes Diaboli & mundi, Ephes. 6. ver. 16. *assumto scuto Fidei.* 1. Petr. 5. ver. 9. *Cui resistite firmi per Fidem.* 1. Iohan. 5. v. 4. *Hæc est victoria quæ vincit mundum, Fides nostra.*

IX. Fides sese exerit edendo confessionem ingenuam & imperterritam, Rom. 10. v. 9. 1. Thess. 1. v. 3. & v. 8. 2. Cor. 4. v. 13. *Credidi, & ideo locutus sum.*

X Per fidem etiam impetramus corporalia beneficia, Mat. 8. v. 10. 22. & Marc. 9. v. 23. *Credenti omnia sunt possibilia*: scil. passiuè, non actiuè. id est, credens potest omnia impetrare & accipere.

XI. Denique per fidem sanctificantur nobis omnes creaturæ, & omnia dona Dei, vt & iustè a nobis vsurpentur, & ad salutem nostram conducant, etiam res suâ naturâ malæ. Hæc proprietas inprimis est memorabilis, & declarat quomodo per fidem in nobis instauretur imago Dei, cuius pars non exigua fuit ius in omnes creaturas, quod ius per lapsum cum amissum sit, ideo sine fide creatura nulla legitimè vti possimus: &, si vtamur, fatti & rapinę sumus rei, id quod docetur Luc. 17. 15. 1. Tim. 4. v. 4. & seqq. Alterum autem illud, quod res suâ naturâ malæ credentibus fiant bonæ, docet Apostolus Rom. 8. v. 28. Et hæc quidem sunt effecta quoad nos: Quoad alios verò effecta fidei sunt: primo, quod infideles nostra fide possimus erudire: secundò, quod imbecilles roborare, & tertiò quod aliis etiam bona corporalia & spiritualia nostra fide à Deo possimus impetrare; eius exempla multa sunt in Scriptura, & locus est Roman. 1. v. 11.

Diuisio fidei continuo subijcienda est, quę per species quidem fieri non potest, cum propositum thema sit species specialissima; sed institui potest ex subiectis, quod nimirum fides sit vel fidelium sub vetere Testamento, vel eorum, qui sub nouo vixerunt: vbi breuiter

indicari

indicari potest discrimen inter vtramque fidem veteris & noui Testamenti, quæ aliàs vna est obiecta & causis, vt testatur Petrus Actor. 15. vers. 11. & totum caput 11. Hebr. Deinceps distinctio Fidei per gradus addi potest, quod alia sit infirma, alia firmior. Roman. 14. versu 1. & 15. vers. 1.

Post diuisionem Cognata subijciantur, vt est Conuersio, Sanctificatio, Spes, quæ Fidei valde est affinis, quoad causam efficientem & obiecta, ad cognata autem pertinent etiam similia, vt cum Apostolus Ephes. vltimo Fidem similem esse dicit militari thoraci, æreo vel ferreo, & Ephes. secundo, vers. decimo sexto, Fidem comparat scuto, quo tela omnia auertuntur.

Diuersitas etiam inter Spem & Fidem debet indicari; primo differunt genere, quia Spes est purus affectus, lætitia nimirum ob bonum futurum concepta, quæ ex fide nascitur, fides autem est assensus: secundo differunt determinatione & circumstantia obiecti: Fides enim apprehendit præsentia, eaque applicat credenti, tanquam ijs iam in præsentia fruenti: Spes autem est affectus futurum spectans, quâ futurum est, & nulla ratione ad præsentia dirigitur.

Oppositæ fidei restant; ac 1. quidem priuatiuè fidei opponitur incredulitas, quatenus est ignorantia rerum ad salutem pertinentium, qualis est in Ethnicis. Contrariè verò eadem incredulitas fidei opponitur, quatenus est animi malitia verbo & promissioni diuinæ sese opponens, eidemque diffidens, quomodo etiam fidei opponitur desperatio, abnegatio agnitæ veritatis, siue ἀπιστία: repugnat etiam veræ fidei fides illa Pontificiorum implicita, itemque anxia hæsitatio & dubitatio de certitudine gratiæ diuinæ, quam tamen illi piam & necessariam esse non erubescunt docere.

ALIVD.
DE SACRAMENTIS.

ADdamus iam exemplum thematis ad Relationem pertinentis, quod sit Sacramentum. 1. Consideratur nominis origo, seu etymologia, quæ est à *sacrando*. Milites

Milites enim apud Romanos obſtringebantur iuramento, quo ſacrari dicebantur, & quod idcirco à ſacrando Sacramentum, ſicut à iurando *Iuramentum* dicebatur. Addantur deinde Synonyma in doctrina Eccleſiæ recepta; vt eſt apud Græcos nonnullos Patres vocabulum *Myſterij*, apud Latinos vox *ſigilli* & *obſignationis*: conſideretur etiam an vox ſit abſoluta & abſtracta, an verò concreta; vbi quidem id notandum, ſuâ naturâ vocem eſſe concretam: includit enim ſimul rem ſacram, quæ ſpirituale quid notat, & deinde ipſam etiam ſignificationem, ſiue ſacram relationem inter ſignum & ſignatum: hoc tamen loco *Sacramenti* vocem abſtractè vſurpabimus pro Sacramentali vnione. Quoad ambiguitates huius vocis, ſunt hæ vel communes vel ſpeciales: Communes ſunt, cum Sacramentum ſumitur aut pro iuramento militari, aut pro pecunia à partibus litigantibus apud Sacerdotem depoſita: Speciales verò ſignificationes in Theologia ſunt, cum Sacramentum accipitur pro re, rem ſacram quouis modo ſignificante: & ita typi V. T. & coniugium etiam *Sacramentum* dici poteſt; quia rem ſacram, videlicet, vnionem noſtram cum Chriſto ſimilitudine quadam adumbrat. Strictiſſimè verò Sacramentum ſumitur pro eiuſmodi ſigno ſacro; quod diuinitus ordinatum eſt, ad obſignandam & confirmandam fidem promiſſionis gratiæ. atque hæc eſt nominis definitio, qua vox Sacramenti declaratur.

Iam ad inueſtigationem generis cum accedimus, reperiemus in tabula Relationum ordinem ſacrum; A genere ſtatim accedendum eſt ad ſubiectum relatum & correlatum, inter quæ hic ordo verſatur; res nimirum corporalis & viſibilis tanquam ſignum eſt relatum: res verò ſpiritualis inuiſibilis, eſt ſignatum correlatum. Fundamentum eſt partim reſpectu Dei, partim reſpectu ſigni & ſignati, partim denique reſpectu vtentium. Reſpectu Dei; cauſa ſiue fundamentum Sacramenti eſt inſtitutio per Chriſtum Mediatorem facta: Reſpectu ſigni & ſignati, eſt ἀναλογία, ſiue correſpondentia illa, per quam res corporalis & viſibilis apta eſt ad ſignificandam & obſignandam rem

inuiſibilem & ſpiritualem; ſicut in Cœna Domini magna eſt ſimilitudo inter panem paſcentem corpus, & inter corpus Chriſti paſcens animam. Denique reſpectu vtentium cauſa & fundamentum Sacramenti, eſt legitimus vſus in vera fide ratum habente fœdus diuinum & Deo repromittente obedientiam. Terminus ſeu finis eſt, vel cuius gratia ſacramentum inſtituitur vel cui inſtituitur. Terminus cuius eſt, vel principalis, vel minus principalis. Principalis, eſt recordatio & obſignatio meriti Chriſti, & omnium ſpiritualium beneficiorum hoc merito nobis partorum. Minus principales termini ſeu fines ſunt: 1, Profeſſio gratitudinis & confeſſio ſanæ doctrinæ in publico cœtu facienda. 2. obligatio ad mutuam charitatem colendam inter membra Eccleſiæ. Terminus ſeu finis Cui, ſunt fideles ſiue conſœderati Dei. his enim ſolis Sacramenta ſunt inſtituta. Iam definitio integra extruatur. *Sacramentum eſt ſacra ſignatio ſiue ordo inter res externas & ſenſibus expoſitas, & inter res ſpirituales ſiue cæleſtes, mutuam inter ſeſe analogiam & ſimilitudinem habentes, a Deo in Mediatore Chriſto inſtitutus, ad obſignandam promiſſionem gratiæ, & eius beneficia fidelibus in vero vſu exhibenda.*

Accidentia propria Sacramenti ſunt hæc:

1. Quod Sacramenta ſint tabulæ & appendices fœderis Diuini. 2, Quod ſint μνημόσυνα benedictionum ſpiritualium. 3, Quod nos obligent ad gratitudinem. 4, Quod ſint vincula charitatis Chriſtianæ. 5, Quod cum magna reuerentia & deuotione ſint vſurpanda. 6, Quod requirant propoſitum vitæ integrioris & ſeriam pœnitentiam ſeu conuerſionem. 7, Quod lætitiam ſingularem afflictis conſcientijs adferunt. 8, Denique, quod extra vſum legitimum rationem & eſſentiam ſacramentalem amittant. Diuiſio Sacramenti inſtituenda eſt, quod aliud ſit Vet. aliud N. Teſt. vbi breuiter indicandum vtriuſque diſcrimen. Poſt ad cognata Sacramenti accedendum; quæ ſunt. 1, Verbum Dei. 2, Fœdus Dei. 3, Miracula. 4, Sacrificia: vbi ſimilitudine inter hæc & Sacramenta indicatâ, diuerſitas etiam & diſcrepantia horum

quatuor

quatuor à Sacramentis eſt proponenda. Denique Pugnantia addantur, vt ſunt 1. contemtus, 2, abuſus. 3. neglectus, & denique contentiones & lites de re Sacramentaria.

Tantum de Primaria thematis perfecti tractatione.

Secundaria eſt, cum definitio thematis à principio ſtatim ponitur, & deinceps per partes reſolutur atq; explicatur.

Nemini obſcurum eſt aut ignotum, multos eſſe Philoſophos & Theologos doctiſſimos, qui hanc tractandi thematis ſimplicis rationem inprimis amplectantur & teneant; vt primo ſtatim initio propoſitum thema definiant, atque illam definitionem tanquam totius futuræ tractationis fundamentum præſupponant: Exinde via ἀναλυτικῇ, ſiue reſolutiua vſi, ſingulas definitionis partes reſumant, & membratim explicent, vt in multis Philoſophorum & Theologorum ſcriptis quotidie videmus: Hanc tractandi viam ego quidem non reprehendo, ſed adduci interim non poſſum, vt ſtatuam eſſe tam artificioſam tamq; cõmodam atq; vtilem ac fuit præcedens illa, quam *primariam* dixi, & ſuis canonibus deſcripſi, exemplisq; illuſtraui: Rationes cur ita ſentiam, ſunt hæ: 1, Quia methodus & ordo artis ita inuertitur: definitio enim etſi terminus ſimplex ſit, tamen non eſt primus, ſed à primo ortus; prima autem per Naturam prima debent eſſe per ordinem, præſertim cum definitio primo loco poſita, intelligi nõ poſſit, niſi prius intellecta ſint ea, quæ in definitione ſumuntur, vt ſunt Genus, Cauſæ, Obiectum, Subiectum, quæ certè præſtabat ante definitionem intelligi ac poni, quam poſtea demũ ex definitione erui. 2, Ratio eſt, quia methodi lex poſtulat, ne à difficilioribus initium fiat expoſitionis & explicationis, ſed à facilioribus: at omnis definitio eſſentialis & perfecta eſt omnium inſtrumentorum tractationis difficilimum, vt Ariſtoteles ſatis innuit 6. Topic. cap. 4. & Ludouic. Viues in libro de explicatione Eſſentiæ, cuius verba in compendio Logico citauimus: Et Galenus in 4. De

differentia pulſuum, capite ſecundo: etſi alioquin ſit maximus ordinis definitiui aſſertor, tamen improbat eos, qui omnia definitionibus docere volunt, propterea quod valde obſcuri euadant tales, qui ab eſſentialibus definitionibus incipiunt. Denique illa etiam ratio accedit, quod ij, qui in prima ſtatim acie collocant definitionem, neceſſe habeant prius propoſitum thema definire, quàm ambiguitatem nominis expenderint, aut Etymologiam conſiderarint, quod quidem valde eſt præpoſterum; cum omnes Philoſophi & Logici præcipiant, non eſſe definiendum prius, quam vocabulum ſit diſtinctum, & ab his ambiguitatibus liberatum: præſertim cum nominis conſideratio viam nobis planam aperiat ad rei ipſius intelligentiam. Sed hic nobis grauis aduerſaria paratur per autoritatem Ciceronis, in primo ſtatim aditu Officiorum, præcipientis, *Vt omnis, quæ à ratione ſuſcipitur de re aliqua tractatio, à definitione proficiſcatur.* Sed reſponſionem habemus promptam: 1. non loqui ibi Ciceronem de perfecta & eſſentiali definitione, ſed de explicatione nominis, per quam intelligitur, quid ſignificet illud thema, ſeu potius vocabulum thematis, quod tractandum proponitur; atque iccirco videmus Ciceronem ipſum non tam definire eſſentialiter officium eò loci, quàm nominis ambiguitatem diſtinguere & declarare, quid vocabulum officij Latinis, & quid vox καθήκοντος Græcis ſignificet: ſecundo Dicimus intelligi poſſe locum Ciceronis non de tractatione thematis ſimplicis, ſed de tractatione thematis coniuncti, ſeu quæſtionis controuerſæ, quæ, antequam poſſit probari per medios terminos, ſeu argumenta artificialia, neceſſe eſt prius præſupponi prædicati & ſubiecti definitionem tanquam principium totius diſputationis, de qua re docuimus pag. 410. Syſtematis.

CAPVT

CAPVT V.

De Tractatione thematis ſimplicis Imperfecti.

EXpediuimus vtiliſſimam doctrinam thematum ſimplicium perfectorum: Reſtat, vt tractationem thematum imperfectorum oſtendamus.

Themata imperfecta ſunt, quæ in ordine rerum ſiue in prædicamentis perfectè non collocantur.

Eaque ſunt vel reſpectu noſtri intellectus tantum, vel ſuâ naturâ imperfecta.

Reſpectu noſtri intellectus, perfectè tractari non poteſt & explicari natura Dei Optimi Max.

Neutiquam id dicendum eſt, Deum ſuâ naturâ ad themata imperfecta pertinere, cùm ſit Ens primum & omnis perfectionis autor, atque idcirco per ſe maximè intelligibilis, vt in Metaphyſicis etiam Philoſophus agnouit, hac ductus ratione; quia ex ſe ipſo cognoſcitur Deus & non ex alijs eo prioribus, quia verò ea eſt intellectus humani imbecillitas, vt rem nullam perfectè poſſit cognoſcere per ſe ipſam, ſed ſemper ex alijs notioribus ad ignotum explicandum deducatur; ideo fit, vt Deum eiuſque naturam nequeat perfectè explicare, qua de re etiam prolixius monuimus pag. 38. Syſtematis & pag. 231. Porrò ad tractationem & explicationem Dei eadem propè adhibentur, quæ adhibebantur ad tractandum thema perfectum, vt eſt 1. Explicationis; 2. conceptus aliquis generis, etſi propriè loquendo Deus genus non habeat; 3, proprietates Dei eſſentiales & actionales ab eſſentia manantes. 4. perſonæ tres in vnica eſſentia diuina ſubſiſtentes, & ſingularum perſonarum proprietates. Cognata etiam, denique & quæ Deo aduerſantur oppoſita; Quam quidem methodum in primis diligenter atque

accuratè obſeruauit clariſſimus Theologus Zanchius in duobus Voluminibus, quorum vni titulus eſt, *De trib. Elohim*, alteri autem, *De proprietatibus diuinis*, quorum hoc explicat ea quæ ad Dei eſſentiam pertinent, alterũ verò quoad perſonas. Itaque ſtudioſi Theologiæ in hoc themate tractando ducem ibi & exemplar habent, vt non ſit opus prolixius hic immorari. præſertim cum vnicum hoc tantum thema ſit, quod plura exempla in diſciplinis non admittit, vt quidem admittunt ea themata imperfecta, de quibus porro nobis nunc eſt agendum.

Thema ſua natura imperfectum, eſt quintuplex. 1. *res ſingularis:* 2. *p.a.s:* 3. *concretum.* 4. *collectiuum:* 5. *priuatio.*

Singulare ſeu Individuum vel Subſtantiale eſt, vel accidentale.

Subſtantiale hos habet Canones:

I. Inter ſubſtantialia themata ea potiſſimum in vſum occurrunt tractanda, quæ vocantur perſonæ.

Ad ſingularia themata diſciplinæ non deſcendunt, ſed ſubſiſtunt in vniuerſalibus, vt Plato dixit, *In ſpecibus infimis eſſe quieſcendum*: de qua re videatur pag. 69. Syſtematis. Excipitur tamen S. S. Theologia, quæ tractat thema ſubſtantiale ſingulare Chriſti Saluatoris perſonam. Hiſtoricum quoque ſtudium perſonalia themata tractat, inque ijs pene totum eſt occuparum: In Rhetoricis quoque inprimis magnum ea res habet vſum: Sæpiſſimè enim accidit, vt de perſona aliqua nobis ſit perorandum, ita vt eius laudes præ dicemus, quod fieri non poteſt ſine hiſce de tractando perſonali themate præceptis, quæ itidem vſum ſuum habent cum res poſtulat, vt inuectiuas paremus, & perſonæ vituperium inſtituamus, quæ res Melanchthonem mouit, vt duplices faceret locos Inuentionis; alios quidem *perſonarum*, alios vero *rerum*: Etſi quidem fatendum ſit rerum locos ad doctrinam Syllogiſticam abundè ſufficere: ad vſum vero Logicæ oſtendendum in tractando

do themate perſonali, iſti quos perſonarum locos vocat, mentione aliqua recenſendi ſunt, ſic tamen, vt ad terminos Logicos generales reuocentur, eos nimirum, quos prima Logicæ pars docuit.

II. CANON. *Genus & ſpecies tacita cogitatione præſupponuntur in individuis.*

Nam ſi tractandum ſit de Iohanne Baptiſta, ineptum foret dicere, eum fuiſſe hominem, & ibi inſtituere tractationem hominis, ſed tacitis id cogitationibus eſt relinquendum.

III. Nomen perſonæ, eiusque Etymologia & ratio impoſitionis conſideretur.

Antiqui enim perſonis nomina, non ita temere impoſuerunt, vt hodie fit, vbi nomina ſæpe Syriaca aut Græca homines plebei ſuis liberis imponunt, quæ vel planè ignorant, quid ſignificent, vel etiam, quæ in ſe vituperium aut infamiæ notam habent, vt cum nonnulli ſuas filias creant Magdalenas, cum tamen hoc ſit nomen non proprium, ſed patriæ ſeu loci, vnde ea fœmina fuit oriunda.

IV. Conſideretur deinde cauſa efficiens ſiue ortus & natiuitas perſonæ, eiuſque ortus circumſtantia; 1. loci, nimirum patriæ: 2. temporis, quo nata eſt perſona, & deinde ſubiecta iſtius natiuitatis ſiue genituræ, videlicet parentes, pater primis & mater.

Exiſtentia quid differat ab Eſſentia, ſupra monuimus, & diximus exiſtentiam eſſe Eſſentiæ quandam reſtrictionem; quæ requirat cauſas efficientes, circumſtantias locorum & temporis: Hæc ergo in tractatione perſonarum peculiariter fuerint attendenda, ſiquidem ijs magis eſt reſpiciendum ad exiſtentiam, quam eſſentiam: cum exiſtentia ſit ſingularium, Eſſentia vero vniuerſalium.

V. Poſt hæc enarrentur accidentia perſonæ. 1. ea quæ ad corpus pertinent, vt eſt ſtatura & valetudo. 2. hæc, quæ ad animum, vt eſt ingenij iudicium,

memoria, doctrina: nec non virtutes morales, caſtitas, liberalitas, & id genus alia. Et hæc deduci poſſunt per ætates, videlicet, pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutem, & virilem ætatem.

VI. Effecta perſonæ recitentur, quid memorabile geſſerit, ſingulis ætatibus, inprimis autem ætate virili, quæ rebus gerendis inprimis apta eſt.

VII. Cognata indicentur, vt ſunt coætanei, amici, & ea quibus perſona delectata eſt maximè.

VIII. Denique aduerſa ſeu pugnantia perſonæ recitentur, vt ſunt inimici, inuidi, æmuli, & priuatio vitæ eius, nimirum mors, cuius indicanda ſunt, 1. cauſæ, nimirum, morbi genus, aut ſi violenta mors fuit, caſus aduerſi, quibus periit: deinceps connexa mortis, ſi quæ forte ſigna portentoſa mortem anteceſſerunt, vt ſi quid memorabile dixit in agone: quibus addantur conſequentia mortis, vt eſt ſepultura, & honores exequiales.

Hæc ſunt præcipua inſtrumenta, quibus perſonarum tractatio expeditur: Voluimus enim præcepta hæc ad perſonas accommodare, vtpote de quibus potiſſimum in Ethicis, hiſtoricis, & Rhetoricis ſoleat tractari: aliorum enim individuorum inanimatorum, aut brutorum doctrina & tractatio non ita magnum aut crebrum inuenit vſum, vt quidem hæc doctrina de perſonis, quam vſurpare vtiliter poſſumus in conſignatione, & lectione hiſtoriarum tam Eccleſiaſticarum, quàm Ethicarum ſiue Politicarum: vt ſi quis tractare velit de Salomone, his præceptis adiutus maximum habebit explicandi aut amplificandi campum. Ita etiam legẽs quis Hiſtoriam Alexandri Magni apud Plutarchum vel alibi, facilè eam & intelliget & memoria complectetur, ſi filum & ductum huius ordinis ſequatur, & cogitet. 1. De nomine, quod Ἀλέξανδρος ſignificet *virorum propulſatorem*, poſtea de vtroque parente, de patria, de accidẽ-

tibus

tibus, de rebus effectis ſeu geſtis, de morte denique, & anno mortis Alexandri, conſiderationem inſtituat. Et Plutarchus quidem in vita Ciceronis hunc etiam ordinem ſtudioſe expreſſit: nam & de nomine eius egit, & poſtea de patria, de parentibus, de educatione & inſtitutione liberali, de moribus, de rebus geſtis, & denique de morte & anno mortis. Nos miſſis alijs exemplis, perſonam Ioh. Baptiſtæ hoc loco tractãdam breuiter ſuſcipiemus. Primo ergo nomen & cognomen conſiderentur: Nomen eſt Hebræum, & gratioſum ſignificat, vbi de ratione impoſitionis dici poteſt, quod enim ſingulari Dei conſilio, patre muto, id nominis ſcribente ſit datum, vt tria indicentur. 1. acceptiſſimum & gratiſſimum fuiſſe nuncium, quod Angelus attulit de cõceptu & natiuitate huius perſonæ: 2. Vt ſignificentur mores ipſius fore gratioſos, ab omni nimirum ambitione & inuidia alienos: & deniq; eum fore præcõnem gratiæ & remiſſionis peccatorum per Chriſtum agnum illum immaculatum accipiendæ: cognomen autem diſcriminis gratia eſt impoſitum à ritu nouo Baptiſmi, quem primum hæc perſona adminiſtrauit. Poſt hæc *Natiuitas eius* explicetur. 1. per circumſtãtiam loci; natum vid. eſſe Iohannem Hieroſolymis, vrbe totius orientis (vt inquit Plin. li. 5.) clariſſima, quę fuit ſedes doctrinę Propheticæ, vbi templum fuit, in quo ſe Deus peculiariter voluit reuelare, vt dicitur Ieſ. 31. *Dixit Dominus cuius ignis eſt in Zion, & caminus in Hieruſalem*: poteſt etiam amplificationis cauſa inſtitui comparatio breuis inter Hieroſolymam & Athenas vel Romam; quandoquidem patria multum facit ad ornamentum perſonæ conciliandum. Idcirco Plato 5. De leg. *Magis*, inquit, *eſt amanda patria, quàm mater, quia eſt quiddam diuinum. Tempus* indicatur quo Ioh. Bap. Hieroſolymis natus eſt, ann. nim. circiter ante Chriſtum, anno Mundi 4000. *Parentes* fuerunt *Zacharias & Elizabetha*: ex tribu nimirum Leui. Zacharias quidem genere & inſtituto vitæ Sacerdos, vir iuſtus & inculpatiſſimæ vitæ, ætatis iam ſenilis & effœtæ, quod idem etiam de Elizabetha dicendum eſt: Poteſt etiam breuiter aliquid addi de morte Zachariæ & Elizabethæ, de qua Hiſtoriæ Eccleſiaſticę tradunt, Zachariam interfectum eſſe ob conſtantem

ſtantem confeſſionem Meſſiæ. Elizabetham vid. audito infanticidio Herodis profugiſſe ad Eſſęos, ibique vitam duriſſimam tranſegiſſe, atquè integerrimis moribus filium Iohannem imbuiſſe & educaſſe.

Antecedentia natiuitatem Iohannis hoc loco interſerantur, vt eſt annunciatio per Angelum in templo facta Zachariæ incredulo, & idcirco ſic diuinitus punito, vt ad Natiuitatem filij vſque fuerit mutus. Item profectio Mariæ matris CHRISTI ad cognatam Elizabetham, & exultatio Iohannis in vtero materno ad præſentiam Mariæ, & eius, quem tunc in vtero gerebat Meſſiæ. Iam *accidentia Iohannis* ſunt perpendenda, ac de ſtatura quidem corporis nihil Scriptura tradit: De adiacentibus vero ſiue veſtitu ſcribit Matth. c. 3. verſu 4. *Eum vſum eſſe veſtimento è pilis camelinis, & zona coriacea cinxiſſe lumbos*: Quod ad animi virtutes & genus officij, teſtatur Chriſtus Lucæ 7. verſu 28. *inter omnes homines ex mulieribus natos nullum fuiſſe maiorem hoc Iohanne*. Fuit enim in eo ſanctiſſimus zelus gloriæ Dei, ardentiſſimus amor Chriſti, fidelitas ſumma in obeundo munere, ſpectatiſſima vitæ continentia, quæ non tantum ex veſtitu illo rigidiori, ſed etiam ex victu ſylueſtri & frugaliſſimo elucet: Habuit enim in victu locuſtas & mel agreſte, vt citato loco Matth. teſtatur; fuit etiam in eo maſcula fortitudo & imperterritum pectus, quæ omnes tam eminentes virtutes ſummam huic viro famam & authoritatem per vniuerſam Iudæam, imo & exteras regiones, vt apparet Acto. cap. 19. & apud Regem etiam Herodem, vt apparet Marci 6. conciliarunt.

Effecta ſiue res geſtæ Iohannis, quoad ætatem puerilem & iuuenilem, nullæ recenſentur: ſed vir factus & ingreſſus annum 30. ætatis prodijt in publicum, & res geſſit planè diuinas. Sunt autem præcipuæ eius res geſtæ:

1. *Conciones*, quibus inuitauit homines ad pœnitentiam, & mirificè illuſtrauit doctrinam de Trinitate, de perſona Chriſti, de remiſſione peccatorum, de diſcrimine legis & Euangelij, de bonis operibus, de Baptiſmo, de ordine Politico. Alterum genus rerum geſtarum eſt inchoatio noui Teſtamenti, & indigitatio

Chriſtj.

Christi. Itemque administratio noui ritus, videlicet Baptismi, quo tinxit non tantum alios homines, sed etiam ipsum Christum. Atque hæc quidem gessit tum in vniuersa Iudæa, tum inprimis in ea Iudææ parte, quæ ad Iordanem sita, *desertum* appellabatur, non quod esset mera solitudo & Eremus, cum fuerint ibi aliquot oppida tribus Iudæ, vt Ioh. 15. disertè legimus sed quod non tanta illic esset hominum confluges vt Hierosolymis & alijs Iudææ partibus; & hæc quidem fuit circumstantia loci, rerum gestarum Iohannis: *Temporis* autem circumstantia fuit ætatis annus circiter trigesimus, & biennium circiter, quo suæ vocationis cursum absoluit. miracula quidem nulla edidit, vt expresse dicitur Ioh. 10. testimonia tamen doctrinæ suæ habuit longè excellentiora quam vllus prophetarum, vt est præclarum illud testimonium, quod ipsi dedit angelus annuncians natiuitatem eius Zachariæ. Item, quod natus sit quasi miraculo, ex effœtis & sterilibus parentibus. Ité præclarum illud encomium, quod illi Christus tribuit Luc. 7. *asse vid. Eliam, imo Elia maiorem, vt & omnibus Prophetis.* Sed & omnia omnium temporum miracula, & omnes Prophetarum visiones longissimè superat, illustris illa reuelatio sacrosanctæ Trinitatis exhibita Iohanni ad ripam Iordanis, multis inspectantibus, Matth. tertio, Luc. 3.

Coniuncta Iohannis Baptistæ sunt. 1, Prophetæ qui etiam Christum prædictionibus suis monstrarunt, & inprimis Elias Spiritu quodam eminentiori agitatus; postea Christus, cuius præcursor Iohannes fuit, & cui viam planauit ac præparauit, nec non & Apostoli siue discipuli Christi: Item q; discipuli Iohannis & sectatores eius, & totus deniq; populus Iudaicus ei impensè fauens. Diuersitas deniq; indicetur, 1. Inter Prophetas & Iohannem, ad quem ij durare debuerunt, teste Christo: postea peculiariter ostendatur, quid interfit inter Eliam & Iohannem: & denique quantum interfit inter Christum & Iohannem: Quod discrimen Iohannes ipse disertè indicat, cum ait, *se indignum esse, qui soluat corrigias calceamentorum Christi:* Vltimo pugnantia Iohannis addantur, vt sunt, 1, totus Clerus Hierosolymitanus

nus, Herodes ab ipso offensus, & eius vxor ac filia saltatricula. Denique mors ab Herode tyrannicè illata, Mar. 6. & post hanc sepultura honorificè per discipulos facta.

Tantum de tractatione thematis singularis substantialis.

Accidens singulare est quod inhæret substantiæ singulari, velut eius vel qualitas, vel actio, vel passio, vel etiam relatio.

Magnus etiam est vsus huius tractationis, tum in historijs, tum in sacra Theologia: Nam in historijs res gestæ nihil sunt aliud, quàm themata accidentaria singularia: vt, si quis velit describere bellum aliquod, E. g. bella Punica, bella Persarum aduersos Græcos, aut denique memorabile illud bellum Alexandri magni aduersus Darium vltimum Persarum regem, quo Monarchia tertia est constituta, non poterit id dextre præstare sinè his præceptis. In Theologia verò maxima est huius vsus doctrina circa personam Christi, cuius accidentia nucleum & succum totius Theologiæ in se continent, & sine his præceptis tractari nequeunt, vt est natiuitas & incarnatio eius, fuga in Ægyptum ac reditus in Nazareth, Disputatio cum Scribis & Doctoribus Iudaicis in templo, anno ætatis duodecimo; eius ministerium, Baptismus, tentatio in deserto, miracula singula quæ edidit, Institutio Cœnæ Dominicæ, Passio & Mors, & Sepultura, Resurrectio, Adscensio in cœlum, sessio ad dextrã Patris, & denique reditus ad Iudicium.

Canones tractandi thematis singularis Accidentalis sunt hi:

I. Primo nomen expendatur non secus ac in themate vniuersali.

II. Genus ac species propositi thematis præsupponantur.

III. Subiectum, Substantia nimirum illa singul. consideretur, vt & obiectũ circa q̃ versatur.

IV. Ante-

IV. Antecedentia, itemq́ connexa, adiacentia, & inprimis circumſtantiæ explicentur.

V. Cauſæ efficientes, tum principales, tum etiam inprimis impulſiuæ & inſtrumentales diligenter excutiantur, & cauſa etiam finalis ſubijciatur.

VI. Deſcriptio ex nominatione ſpeciei, itemq́ aſſignatione ſubiecti, obiecti, circumſtantiarum, loci & temporis, itemq́ cauſarum efficientium & finalis mentione colligatur.

VII. Propria requiſita & effectus addantur.

VIII. Conſequentia nominentur.

IX. Cognata recenſeantur.

X. Diuerſa comparentur, & denique oppoſita aſſignentur.

Apparet ex his canonib. in tractatione ſingularis accidẽtis, nonnulla eſſe communia cum tractatione accidentis vniuerſalis, nonnulla verò etiam particularia: præcipuè verò ea inſtrumenta, quæ externa dicuntur, & ad res externas inprimis ſunt comparata, vid. antecedentia, adiacenna, connexa, circumſtantiæ, impellentes & inſtrumentales cauſæ, & denique conſequentia: nam de his inſtrumentis etiam in Syſtemate Logico monuimus, quod præcipuum vſum præbeant explicandis ſingularibus rebus pag. 210.

Porrò exemplum explicati thematis ſingularis accidentalis dedimus in compendio Logico, eum explicuimus paſſionem Chriſti, pag. 151. Nunc verò, ne quid ad doctrinæ illuſtrationem deſit, ſumemus exemplum aliud itidem Theologicum, cuius thema ſit,

ASCENSIO CHRISTI.

AC primo quidem quod ad nomen attinet, etſi tum Latinis tum Græcis ambiguitatem aliquam habeat, vel potius μεταφορὰν atque improprietatem, cum tribuitur Deo & rebus ſpecialibus, vt nimirum, cum Deus dicitur aſcendere & deſcendere, item cum mentes noſtræ

noſtræ dicuntur aſcendere in cælum, id eſt, abiectis terrenis cogitationibus & cupiditatibus cæleſtia meditari: tamen cum tribuitur corporibus, ambiguitatem nullam habet. Itaque definitio ſeu explicatio nominis hæc ſit, *quòd aſcenſio ſit ſcanſio ſiue motus à loco inferiori ad ſuperiorem*. Genus adſcenſionis eſt motus localis, qui habet terminos ſiue extrema ſua à quo & ad quod, & deinde medium, per quod motus fit. Iam hic quæritur, & tacita cogitatione inueſtigatur, vtrum adſcenſio Chriſti ſit motus phyſicus, an vero hyperphyſicus: nam ea res inprimis ad accuratam generis cõſiderationem pertinet: dicimus autem eſſe phyſicum hunc motum: 1. ratione ſubiecti, quod eſt corpus phycum. 2. ratione terminorum & medij: ſed ratione cauſæ efficientis & finalis eſſe motum hyper-phyſicum. Subiectum adſcenſionis in cælum eſt tota Chriſti perſona, non quidem abſolutè, ſed reſtrictè, ſecundum partem nimirum eam, quæ de loco in locum moueri potuit, quæ eſt humana natura, ſiue corpus Chriſti. Illud diſcrimen enim ſubiecti abſoluti & limitati, in explicandis Chriſti accidentibus & operationibus accuratè eſt attendendum, vt pag. 180. & 183. Syſtematis monuimus. Obiectum hic non eſt neceſſe quærere, quia motus localis circa obiectum non occupatur. Antecedentia adſcenſionis Chriſti ſunt vel remotiora, vel propinquiora: remotiora ſunt eius miniſterium, & quicquid in hac vita egit: propinquiora ſunt paſſio, reſurrectio, conuerſatio cum diſcipulis poſt reſurrectionem facta per dies 40. vt eos præſens adhuc rectius de perſona & officio inſtitueret, & de ſua in cælum adſcenſione præmoneret, quod etiam fecit ante paſſionem, vbi concionatus eſt de relictione mundi atque abitu ad patrem: proximum antecedens adſcenſionis eſt eductio diſcipulorum in montem Olueti, & habita ad eoſdem valedictio, & data poteſtas prædicandi Euangelij per vniuerſum mundum. Connexa adſcenſionis Chriſti ſunt tum termini, tum etiam res geſtæ, quæ circa adſcenſionem acciderunt: Termini ſunt vel extremi, vel medij: Extremi duo ſunt, à quo, & ad quem. Terminus à quo, eſt mons Olueti, & inprimis

primis locus ille cui veſtigia ſua Chriſtus impreſſit iam iam in cœlum eleuandus : terminus ad quem, eſt cœlum cœlorum, domus illa patris ad quam iuit paraturus locum ſuis electis. Ioh. 14. Medium, per quod motum eſt Chriſti corpus, eſt, 1, aër & ſphæra ignis, & reliqui orbes. hos enim penetrauit corpore ſuo. Circumſtantia loci congruit cum terminis: temporis verò circumſtantia fuit annus 33, & dies 40. poſt reſurrectionem : reliqua vero connexa fuerunt aſpectio diſcipulorum, & apparitio Angelorum concionantium de aſcenſione Chriſti, deque eius ad extremum iudicium reditu.

Cauſa efficiens principalis fuit virtus Diuinitatis, corpus Chriſti ad ſuperiora eleuans & ſuſtinens: Cauſa autem αἰτιωδὴς fuit amor Chriſti erga Electos: πρακτικὴ Apoſtolorum & reliquorum Electorum emolumentum ac ſalus, ſicut dixit, *Bonum eſt vobis, vt abeam.* Cauſa finalis eſt duplex, vna reſpectu Chriſti : altera, reſpectu Electorum.

Reſpectu Chriſti, eſt plena occupatio & poſſeſſio gloriæ ipſi deditæ: reſpectu vero Electorum eſt, vt officium regium in defendenda, & regenda Eccleſia, nec non & propheticum & ſacerdotale in mittendo Spiritu ſancto, vero illo doctore & paracleto, itemque in intercedendo pro nobis apud Patrem poſſit obire. Hinc ſequitur deſcriptio, quod *adſcenſio Chriſti ſit motus localis, quo is ſecundum corpus ſuum, vel. Ela terra & monte Oliueti, per omnes regiones Elementorum, virtute diuinitatis in cælum illud glorioſum penetrat, ad occupandam plenam gloriam, & ad Eccleſiam contra omnes hoſtes defendendam, ac per S. S. ex illinc miſſum inſtruendam, atque interceſſione apud patrem commendandam.* Effecta adſcenſionis Chriſti ſunt hæc: 1. miſſio S. S. 2. collectio Eccleſiæ per vniuerſum terrarum orbem miniſterio Apoſtolorum. 3. hoſtium oppreſſio, & Eccleſiæ defenſio, itemque ſeſſio ad dextram Patris, & interceſſio pro Electis. Conſequens adſcenſionis Chriſti fuit Apoſtolorum admiratio, & reuerſio Hieroſolymam, timor & cohabitatio, dum S. S. in eos effunderetur. Cognata adſcenſionis ſunt reſurrectio, per quam 1. de ſuis hoſtibus triumphauit. 2. Adſcenſio Enochi

chi & Eliæ in cælum, & præsertim Eliæ, qui astante & vidente Elisæo, igneo curru & equis fuit subuectus, quique pallium suum demisit in terram, perinde vt Christus misit suis discipulis S.S.

Ad Cognata etiam potest referri triumphus vsitatus in Repub. Romana: sicut enim ibi victores admodum gloriosa pompa de suis hostibus triumpharunt: ita etiam Christus de Diabolo, peccato, & morte triumphum egit, atque hæc comparatio potest amplificari per partes siue solemnitates & ceremonias vsitatas in pompa triumphali apud Romanos, nimirum curru inaurato, veste splendidissima, & lauro atque olea quam gestabat victor, præcedentibus hostibus captiuis, applausu & acclamatione populi, ingressu in Capitolium, sparsione pecuniæ, & distributione munerum in populum, denique epulis ac conuiuijs publicis. Diuersitas deinde inter hæc omnia indicetur: nam 1. quod ad resurrectionem, ea quidem est initium gloriæ Christi, sed non coronis, siue complementum: Adscensio vero Enochi & Eliæ non fuit victoria de peccato & Diabolo deuicto, nec fuit triumphus ex merito, sed ex pura gratia, nec ipsorum virtute facta, sed aliena, nec ad salutem aliorum pertinuit; Et Elias quidem pallium suo discipulo Elisæo reliquit, sed Spiritum S. donare & effundere ita vt Christus non potuit: Quod verò ad triumphum Romanum, is merus lusus fuit ad hunc triumphum collatus, neque enim triumphantem reddidit immortalem, nec diutius quam horis paucis duravit, neque omnes Reipubl. hostes propterea deuicti fuerunt, nec denique magno emolumento Rempub. affecit, sed damnosus fuit sæpe tum triumphanti, tum Reip. Oppositæ adscensionis Christi sunt. 1, Eius descensus ad inferos, id est, summa atque extrema humiliatio ad ignominiam & cruciatus profundissimos. 2, euanescentia illa & disparitio quam fingunt Vbiquitarij, autoribus Flacio Illyrico & Johanne Brentio, quorum ille in lib. de ascensione dicit hoc esse ὑπερφυϊκὸν vocabulum, & nihil aliud significare, quam exaltationem gloriæ Christi, non verò localem motum: Hic vero in commentatione super Acta Apostolorum anno 41. edita, definit adscensionem Christi

Christi, *quod sit depositio visibilis conuersationis in terra, & subductio siue disparitio corporis Christi ab oculis hominum.* Quæ porpentosa dogmata adscensionis Christi veritatem planè euertunt, & cum historia adscensionis à Marco & Luca in Actis descriptâ, & per omnes sensuales circumstantias diligentissimè consignatâ ex diametro pugnant.

Tantum etiam de tractatione Accidentis singularis: Partis tractatio sequitur, quæ habet hos canones.

I. Primò nomen partis & Græca & Latina linguâ consideretur, eiusque notatio indicetur.

II. Quia pars omnis est res siue Ens incompletum, non potest quari genus eius aut species completa; sed ad id prædicamentum referri debet, in quo est totum; itaque comparatione & relatione ad totum, partis natura ab intellectu nostro est concipienda, quia omnis pars est totius pars: & si à toto sit resecta, considerationem pene nullam meretur, quia vsus eius cessauit.

III. Consideretur an pars sit essentialis an verò integralis.

Triplicem esse partem, videlicet subiectiuam, essentialem, & integralem pag. 195. & 98. docetur.

Pars subiecta vocatur species respectu generis, aut individuum respectu speciei: itaque de tali parte hoc loco non tractatur, cum in præcedentibus sit actum: spectatur ergo tantum pars essentialis & integralis, vtpote quæ Ens est incompletum, quo totum completur, vt ex Systemate plenius potest intelligi.

IV. Si essentialis sit pars, cogitetur an sit forma, an materia: &, si sit forma, præcipuè explicabitur suis operationibus, siue viribus & effectis:

Si ſit materia, conſiderabitur eius diſpoſitio, per quam apta eſt ad formam recipiendam, atque adeo inſtrumenta, per quæ forma operationes efficiuntur, atque ita totum illud corpus ſubdividatur in partes. 1, maiores & principales: poſtea minores, donec ad minimas veniatur.

V. Conſideretur an pars integralis ſit homogenea, an verò heterogenea; nam homogenea vtriſſimè ſub conſiderationem venit, cum ſit eiuſdem nominis, natura & proprietatum cum toto: heterogenea autem potiſſimum ſolet explicationem mereri.

Quid ſit pars homogenea, quid heterogenea, docetur pag. 103. Syſt. homogeneam nimirum eſſe, quæ ſit eiuſdem nominis cum toto: vt quælibet gutta aquæ eſt pars homogenea totius aquæ: ſic quælibet particula auri eſt pars homogenea totius maſſæ: Medici circa corporis humani conſiderationem agunt de partibus homogeneis, vt eſt ſpiritus, ſanguis & reliqui humores, & caro & oſſa. Extra anatomicam autem diſciplinam homogeneæ partes non magnopere ſolent ſpectari.

VI. In ſingulis ergo partibus præter nomen, conſiderari debet 1, Quantitas & figura: 2. Qualitas ſiue temperamentum. 3, Situs & quomodo ſe habeat ad alias partes, cum quibus connectitur: 4, Vſus ſiue actiones partis, quarum gratia hoc inſtrumentum à natura eſt factum: 5, partes eius minutiores ex quibus compoſita eſt.

VII. Poſthæc partis cognata perpendantur, vt ſunt partes aliæ huic ſimiles: & denig, oppoſita etiam. & pugnantia addantur, vt ſunt in corpore humano partium morbi peculiares.

Huius doctrinæ vſus de explicatione partis præcipuè ſpectatur in ἀνατομίᾳ & ἀστρονομίᾳ, nec non & architectura:

architectura: In Phyſicis quidem partes eſſentiales, vt materia & forma, conſiderantur, al às rarò admodum partium eſſentialium explicatio inſtituenda venit. Integrales autem partes potiſſimum, vt dixi, in anatomia & aſtronomia dominantur: Nam in Aſtronomia tractatur de ſtellis fixis & errantibus; quæ ſunt partes cæli: ita Sol conſideratur quoad nomen, quoad ſubſtantiam, quæ eſt ætherea & quintæ eſſentiæ, tum quoad quantitatem & figuram: Eſt enim figuræ ſphæricæ, terrâ maior 166. qualitas propria ſolis eſt lux ſplendidiſſima. Actio eius eſt primò motus, qui abſolvitur die b. 363 horis 6. Item, illuminatio, calefactio, generatio, dimenſio temporis. Situs Solis eſt in medio Planetarum, inter quos tanquam rex hanc nomen obtinet & imperium. Denique paſſio Solis eſt eius Eclipſis ſiue defectus reſpectu noſtri.

In anatomia verò longè maximus eſt horum præceptorum vſus; vtpote ſine quibus doctrina corporis humani nullo modo poteſt explicari: itaque Medici in anatomicis ita ſolent verſari, vt methodum explicandarum partium ſinguli peculiarem ſibi ferè conſtituant; qui tamen maximè omnium methodo & perſpicuitati ſtudere volunt, hæc octo in qualibet parte dicunt eſſe conſideranda. 1, Nomen, præſertim in lingua Latina & Græca. 2, Subſtantiam. 3, Quantitatem, & figuram. 4, Qualitatem & temperamentum. 5, Vſum & actiones. 6, Partes minutiores, è quibus conſtat. 7, Situm in corpore. Et 8, Paſſiones ſeu morbos, qui huic parti ſolent accidere. Sic de epate, e. g. tractaturi, primò nomen eius Græcum & Latinum ſumunt, poſteà indicant ſubſtantiam hepatis eſſe ſanguineam, ſanguini nimirum coagulato ſimilem, figuram eius ſimilem lunæ corniculatæ, qualitatem & temperamentum calidum & humidum: Officium eius præcipuum ſanguinis generationem: partes vel innatas vel adhærentes, vt ſunt venę, item veſicula fellis. Situm in infimo ventre, ſub diaphragmate in hypochondrio ſeu latere dextro, ita vt incumbat ventriculo: Deniq; paſſiones eius, ſeu morbos recenſent, vt eſt inflammatio, obſtructio, hydrops, ſcirrhus. Seu vt præcepta noſtra illuſtremus

peculiari exemplo, ſumamus *Manum extremã*, eamq; explicemus. Primò nominis etymologia ſpectetur in lingua Hebræa & Latina: nam Græcum Χείρ, eſt primitiuũ: Dicitur ergo Latinis *manus* à manando; quia hoc inſtrumento, potiſſimum actiones è nobis emanant, & quia inter mouendum manus huc & illuc manat, vbi mirandum eſt Hebræos planè cum Latinis congruere in notatione: nam & illi יָד dicunt à יָדָה quod manare ſignificat & proijcere. quia manus inſtar iaculi à trunco corporis ejicitur. Ambiguitas nominis poſtea ſpectetur. Sumitur enim manus interdum latè, interdum ſtrictè. Latè manus ſignificat totam illam partem, quæ eſt à ſcapulis ad extremos vſque digitos, & ita complectitur brachium etiam & cubitum, & denique manum extremam, quæ Græcis ἀκρόχειρ, Latinis ſtrictè & abſolutè manus dicitur. Definitio ſeu explicatio nominis poteſt eſſe ea, quam Galen. tradit in 1. De vſu partium, *quod manus ſit organum ἀπολελειμμένον, id eſt, inſtrumentum apprehenſiuum*, ſicut idem pedes vocat ὀργανον μαπτικόν.

De genere manus cogitari non poteſt, cum ſit Ens incompletum, quin cogitetur de toto illo, cuius pars eſt manus: Eſt autem pars propria hominis. Homo autem eſt in ſubſtantia, ideo & manus erit in ordine ſubſtantiarum licèt indirectè & incompletè. Inter partialia autem & propinqua genera manus potiſſimum eſt Artus, quos duos in corpore hominis numerant, manus & pedes. Hoc genus, ſi quis vlterius reſtringere velit, poteſt *manum* dicere *artum ſuperiorem*. Finis autẽ & vſus manuum eſt vel *communis*, vel *particularis*: communis eſt apprehendere, particularis eſt, qui certis tantum hominibus competit, nim. artificium aliquod manu exercere: hinc nonnulli non tam veram originem nominis, quam commodam alluſionem ſectantes χείρ aiunt dici ἀπὸ τῆ χρήσεως, i. *ab vſu*, vel ϛ῀ δεῖ χρεία ἔστι, quia ſemper manu opus ſit: vnde Homerus χείρων ἀπολυμόων ἔργοις πολυάρχ῀ Ἀθήνη, *diſſectis manibus parent quoque Palladis artes*: Alij dictam volunt Græcis manum ϖ῀ ϖ῀ τὸ ῥᾴδιον χρῆϛ, quia facilis ſit ad vſum. Hinc nimirum Ariſtoteles in 4. De part. Animalium, cap. 10.

manum

manum vocat ὄργανον ὀργάνων, & ait, *naturam homini manum dedisse, quia sit solertissimum animal.* Et Anaxagoras, referente Plutarcho, *manum dixit esse sapientiæ causam*, quod dictum etiam Arist. citat, modò allegato loco: & certè ni manus haberemus, figuræ & literę nullæ possent pingi, & ita nil posset disci aut doceri. Accidentia manus & proprij effectus post hæc considerandi sunt; & inter accidentia primum est figura, quam conuenientissimam natura dedit vsui & scopo manus, dum scilicet digitos à palma distinxit, & digitos à se inuicē diuaricauit, & denique pollicem maiore robore præditum infimo loco inter digitos collocauit: Si n.manus vnum aliquod & coniunctum corpus esset sine digitorum distinctione, nec apprehendere quicquam nec apprehensum continere, nec scribere, aut vllum aliud artificium tractare possemus. Alterum accidens manus est temperies, quæ præ pedib. & alijs partibus externis maximè est exacta, vt nimirum tactus hic possit fieri exquisitior, qualis ad apprehendendum & retinendum requiritur: propter quam causam etiam cutis in manu est valde subtilis, & in interiore parte sine pilis, vt instrumentum tactus esset expeditissimum. Atque hinc etiam propius ille manus effectus, quod sit comparata ad iuuanda & defendenda omnia membra corporis, atque adeo sit fortitudinis sedes; vnde & *manu rem agere*, & *manus conferere* dicimus, & videmus infantes naturâ sic instructos, vt cum pedis digitum ad lapidem impingunt, continuò eò manus conferant, & cum dolorem aliquem quacunque corporis parte sentimus, manum statim eò conferimus, sicut dicitur. *Vbi dolor, ibi manus.* Partes manus ab Aristot. 1. De part. animal. cap. 15. duæ constituuntur, palma & digiti: sed prius distinguendæ sunt partes maiores seu principales à minoribus & secundarijs: maiores partes tres sunt; carpus, palma & digiti. *Carpus* est prima pars manus, proxima flexuræ cubiti, vbi nimirum cubito palma iungitur: vocabant veteres *Rosetam*; quia eam partem rosis ac varijs floribus solebant exornare, vt adhuc hodie fœminæ & viri etiam torquibus vel corallis decorant.

Altera pars à carpo ad digitorum principia extenſa, *ταρσὸς* dicitur, à nonnullis etiam *Podobrachiale*, à Celſo verò & alijs elegantioribus Latinis, *Palma* vocatur. In palma duo conſiderant chiromantici, montes & inciſuras. Mons, ſeu tuberculum eſt carnoſa protuberantia, quæ tum ad carpum, tum ad radices digitorum conſpicitur. Diſtribuunt autem monticulos illos ſecundum planetas, & *montem pollicis* tribuunt *Martj*, *montem indicis*, *Jouj*; *medij digitj Saturno*, *annularis digitj Solj*; *minimj denique digitj monticulum Veneri*. Iam ergo prout Planetæ mons eſt altior & eminentior, pro eo etiam dicunt de temperamento eſſe iudicandum; quod nimirum ſit conueniens naturæ & temperamento eius planetæ, cui tribuitur; vt ſi cui maximè emineat mons pollicis, dicunt eſſe Martij ingenij hominem, id eſt, feruidum & ſicciorem, ac propterea iracundum; Triangulum verò, quod in vola apparet Mercurio attribuunt, & eum quaſi montem, qui ſub minimo digito ad carpum vſque procurrit, Lunæ conſecrant. Ad accidentia vero volæ ſeu palmæ interioris referendæ ſunt inciſuræ ſeu lineæ, quæ ſunt 7. & ex his aliæ principaliores & euidentiores, quæ in omnium hominum manu apparent: aliæ vero minus principales & minus euidentes: principales & euidentes lineæ ſunt tres: prima quæ ſub indicis radice per palmæ medium procurrens, circuli quadrantem quaſi conſtituit, & pollicis ambitum circumſcribit, & dicitur *cordialis* & *vita in linea*, de qua Ariſtoteles 1. libr. de hiſtor. animal. cap. 15. inquit: *Vola carnoſa, & faſſura vitæ indicibus diſtincta, ſi per totam procurrat linea longior, vitam longiorem; ſi breuior, breuiorem deſignat.* Idem etiam docet 1. ſectione Probl. prob. 48. vbi rationem reddit, quare longæui ſint, qui cæſuram per totam palmam obtinent, quæ ratio poſtea intelligetur. Secunda linea principalis eſt, quæ ab extremo lineæ vitæ incipit, & tranſuerſum per medium volam defertur, & dicitur *linea cerebri*, vel, *linea naturalis* quia ex hac maximum indicium capitur de natura ſeu temperamento cuiuſque. Tertia denique eſt ſupra naturalem lineam, ſub digito minimo incipiens, verſus indicem progreditur. hæc dicitur

citur *linea thoralis*, vel, *linea Veneris*. Minus principales & minus euidentes lineæ 4. ſunt. Prima à fine vitalis lineæ incipit, & obliquè ad naturalem aſcendit, hanc *ſtomachalem* nonnulli, alij & *hepaticam* vocant *principalem*: Secunda ex multis ramulis conflata ad minimum digitum tendit, & dicitur *via lactea*, vel, *hepatica ſoror*. Tertia à carpo initium ſumens, per manus longitudinem vſque ad medij digiti monticulum conſcendit, & triangulum cum vitæ & epatis linea facit, hanc *fortunæ lineam* vocant, nonnulli etiam *capitalem* appellant. Denique quarta in ipſa manus & brachij iunctura conſpicitur tranſuerſum per carpum procedens, quam *reſtrictam* ſeu *brachialem lineam* vocant.

Harum linearum hic eſt effectus, quod ſint ſigna & indicia temperamenti, preſertim quoad tria principalia membra & viſcera, cor, cerebrum & hepar, à quibus tota ratio ſanitatis & morborum dependet: id ne temere pronuntiaſſe doctiſſimi Phyſici videantur, rem totam aliquot theorematibus manifeſtam reddemus.

I. THEMA. *Temperamentum hominis conſiſtit in apta commixtione & proportione 4. Qualitatum, Caloris, Frigoris, Humiditatis & Siccitatis.*

II. Inter Qualitates has nobiliſſima, & vitam maximè fouentes, ſunt caliditas & humiditas: quæ ſi bonam inter ſe proportionem & harmoniam habeant, vita etiam ſalubris & longeua exiſtit.

III. Temperamentum autem præcipuè regitur, & adornatur à tribus principalibus membris, corde, cerebro, & epate: nam his generantur ſanguis & ſpiritus, quæ duo ſunt vitæ vehicula, quod & Scriptura teſtatur in ſanguine eſſe vitam.

IV. Naturalis affectus ſeu temperamentum immutat corpus, ac certis indicijs & ſignis ſeſe patefacit.

V. Ibi maximè se prodit temperamentum, quo sanguis defertur purior & defæcatior à reliquis humoribus, & vbi cutis etiam est subtilior & tenuior.

VI. Vbi autem cutis est tenuissima, & quasi per flexuras incisa, ibi optimum potest de sanguine & eius temperamento indicium capi.

VII. Sicut autem distincta sunt loca præcipuorum viscerum in corpore, ita distincta de visceribus indiciorum capiendorum loca erunt distincta.

VIII. In manu insunt hæc omnia, sanguis nimirum defæcatissimus, cutis per naturam tenuis, subtilis sine pilis, & flexuris ornata. E. ex manu optimum indicium de temperamento capitur.

IX. Si ergo in manu plures sunt lineæ, eæque decurtatæ & malè coloratæ, atque non satis eminentes, atque incisæ, temperamentum notatur infirmum, instabile, & ad longaeuam vitam minus aptum.

Lineæ ergo longiores & subtiliores calidiorem complexionem denotant: breues autem & crassæ malorum humorum repletionem significant, quia scilicet à calore potissimum lineæ imprimuntur; & incisuræ istæ cutis, si profundiores sint, carnis etiam maiorem soliditatem & quasi compacturam indicant, quia sanguis fibrosus carnem gignit solidam, & optimo temperamento præditam, præsertim cum etiam arteriæ ad extrema procurrentes spiritum eo deferant validiorem, inprimis circa pollicem, vbi arteria est validior, iccirco vitæ linea illic suam sedem habet, quæ quidem cum à corde imprimatur, vitæ longæuitatem denotat, si sit continua, profunda & perlucido ac viuido colore tincta, contra si sit discontinua, & vna parte latior quàm altera,

item

item colore lurido, vitæ indicat breuitatem & debilitatem temperamenti: capitalis ſiue naturalis, recta & integra, ac bene conſpicua, & cum vitali ſuprema parte vnita, bonitatem cerebri & ingenij excellentiam fidelit itemque ſignificat: brevis autem, tumida, profunda, & cum vitali in ſuprema parte non coniuncta, ingenium indicat *κακοήθειαν*, malevolum, iracundum, infidele. *Linea thoris ſi recta ſit & æqualis, nec multis lineolis diuaricata, hominem ſignificat continentem, & optima conſtitutionis*: Cum autem mores animi ſequantur temperamenta corporis, ideo optimo fundamento niti videtur iſta coniectura de animi moribus ex manu ſumpta: de qua prolixius ſcripſit quidam Teuſnerus. Et ſic de parte interiore palmæ.

Pars exterior ſeu ſumma iterum ab anatomicis diuiditur in inferiorem & ſuperiorem, quæ ſcilicet eſt ad digitos. Tertia pars manus ſunt digiti quinque, quorum duas facit partes Ariſtoteles 1. lib. de hiſt. animal. cap. 15. vna pars dicitur *condylus*, ſiue *nodus* & *articulus*, quo digiti inflectuntur: altera pars dicitur *phalanx*, ſeu *internodium*, quod eſt intra articulos; & iterum diuidi poteſt in inferius & ſuperius.

Superius habet vngues, duplici de cauſa factos. 1. ad ornamentum. 2. ad munimentum & commoditatem apprehendendi tenendique. Porro digiti quinque ſunt: primus eſt *pollex*: ſic dictus à pollendo, quia ſolus tantum valet, quantum reliqui 4. vt Galenus inquit, vnde & *ἀντίχειρ*, quaſi *altera manus* Græcis vocatur. Secundus eſt *index*, quia hoc vtimur ad res monſtrandas: Tertius ceteris longior & magis conſpicuus vocatur *medius*: Quartus *annularis* dicitur, quia vt ait Gellius libr. 10. capite 10. veteres Græci & Romani in hoc ſiniſtræ manus digito annulos geſtabant, & digniſſimum inter digitos habebant, ex traditione quadam Ægyptiorum, qui docent ex corde ad digitum hunc procurrere nerulum ſeu arteriolam: à qua opinione non diſſentit Lemnius libro 1. de occultis naturæ, vbi ait: *auro propterea digitum hunc exornari, quia per hunc ad cor auri virtus mediante arteriola quadam deriuatur, propter quam etiam virtus huius digiti in moribundis diutius durat, quàm*

quam reliquorum digitorum. Quintus deniq; auricularis dicitur, quia nimirum auribus expurgandis adhiberi ſolet. Et hæc quidem de partibus manus propriis & principalibus: minus principales ſunt cutis, maſculi, tendines, nerui & venæ, quæ cum reliquis etiam partibus communes ſint, non neceſſe eſt hic particulariter explicari. Situs manus eſt in ea parte corporis, quæ cerui proxima eſt: ſic tamen, vt ad omnes corporis partes commodè emanare poſſit. Diuiditur manus in *dextram* & *ſiniſtram*: Manus dextræ proprietates ſunt duæ: *dextra manus eſt expeditior, quam ſiniſtra*. Ita Ariſt. 1. Eth. 1. *Per naturam*, inquit, *manus dextra potior eſt*. Diſſentit tamen Plato in lib. 7. De legib. vbi pronunciat, *eos recedere a natura, qui ſiniſtras partes imbecilliores faciant dextris, & accidere à vitio matrum & nutricum, quod minus prompte ſiniſtra vtamur, quarum ſtoliditas*, vt inquit, *nos mancos reddit*; idque ait probari naturâ Scytharum, qui vtramq; manum æquè promtam habent. Sed improbant hanc Platonis ſententiam plerig; Phyſici & Medici, qui dicunt, plane præter naturam eſſe & monſtroſum, ſi quis ſiniſtra manu promtius quam dextra vtatur. & Hippocrates inquit, *nulla fœmina poteſt naſci ἀμφιδέξιος*: Si autem ita eſſet naturale, vt vult Plato, etiam fœminis competeret. Cauſa autem cur dextra manus validior ſit ſiniſtra, duplex eſt. 1, calor hepatis, quod eſt ſitum in parte dextra. 2, quia ad partem dextram arteriæ latiores ex corde deriuantur ita vt plus ſpirituum huc vehatur. Altera proprietas eſt, quod dextra ſit fidei & amicitiæ ſacra. Vnde Plin. lib. 1. dicit Numam Rom. Regem dextram manum Fidei dedicaſſe. Et eſt conſuetudo omnium gentium, dextrarum implicatione fidem confirmare, ſicut dicitur, *En dextra fideſque*. Cognata manus ſunt partes cum ea cohærentes, vt cubitus & brachium, tum planta pedis, itidem digitis interſtincta: inprimis autem pedes anteriores in ſimia, quibus ea vtitur velut manibus. Paſſiones & oppoſita manus ſunt partim cõmunia partim propria: Communis, luxatio, fractura, ſcabies, verruca: propria autem velut paſſio eſt morbus, qui *reduuia* vocatur; abſceſſus nimirum circa radices vngium. Et tantum de Manu.

Tantum

Tantum de explicatione thematis partialis: accidens concretum his præcipuè canonibus explicatur.

I. CANON. *Prater nominis ambiguitatem & Etymol. consideretur absolut. accidens, à quo concretum denominatur: quia concreti in absolut. resolutio est optima concreti explicatio.*

Quid sit concretum accidens ex doctrina Prædicamentorũ potest intelligi, nimirum, non esse Ens aliquod per se vnum & quod accuratam definitionem & explicationem admittat, sed esse duo simul Entia, Substantiam nimirum & Accidens, quæ aliquid per se vnum non constituunt, ideo etiam p. 247. Syst. Canonem peculiarem tradidi de accidentis concreti imperfecta definitione, quæ nunquam mutari possit in perfectam & essentialem, quamdiu concretum accidens manet.

II. *Accidentis absoluti, in quod concretum resolutum est, Genus, causæ, obiecta, effectus, cognata & pugnantia considerentur: eaque ad concretum accidens eodem modo applicentur.*

III. *In relationibus concreta sæpe pro absolutis solent accipi ab incautioribus, ideo ibi magna discretione opus est.*

In reliquis prædicamentis accidentium facilè concreta ab absolutis discernuntur, vt fidelis a fide, albus ab albedine: idcirco si quis absolutum accidens rectè nouerit explicare, nulla ei amplius relicta est difficultas. E. g. Si in Theologia agendum sit de fideli, nil aliud aget Theologiæ studiosus, quàm vt per resolutionem, concreti in abstractum, consideret naturam fidei: quam cum supra secundum omnia instrumenta Logica tractauerimus, supervacaneum fuerit hic eius modi exempli prolixam tractationem instituere. In relationibus autem concretis ea inprimis cautione opus est, vt concreta esse agnoscamus. secund. vt relationem à relato & correlato discernamus. & tert. vt progrediamur in

in absoluta relatione explicanda secundum eam viam, quam supra ostendimus. E. g. Si tractandum sit in Physicis de *Loco*, prima cautio erit agnoscere, hoc vocabulum non esse abstractum, prout ab Aristotele in 4. Phys. sumitur, sed esse concretum ex aliquo subiecto & relatione, quam illud subiectum habet ad alterum corpus locatum seu circumscriptum: Similiter, si de *Tempore* sit tractandum, cogitandum erit vocabulum esse concretum: Similiter in Theologia Magistratus, Minister Ecclesiæ, Sacramenta & plurima alia concretè accipiuntur, etiamsi apud Grammaticos sint substantiua: neque enim vniuersaliter verum est, omnia concreta esse adiectiua, vt etiam in Systemate aliquoties monuimus.

IV. Vbi ita natura absoluti accidentis perfecta fuit, descriptio concreti potest annecti, quæ scilicet ex absoluti consideratione sit extructa.

Concreta non recipere perfectam definitionem, sed descriptionem tantum, satis liquet ex antedictis, & prolixè etiam ea de re in Systemate monuimus, vbi exempla itidem videri possunt eiusmodi concretorum accidentium suis descriptionibus declaratorum, p. 247.

Sequitur explicatio collectiuorum, quæ sunt Entia diuersa, imprimis Substantiæ, inter se quidem nullo essentiali nexu, sed numero tamen & relatione vnitæ.

De collectiuis monetur p. 13. Systematis vbi afferuntur exempla collectiuorum, vt sunt grex, sylua, ciuitas: nam sylua non vnum quid propriè & per se, sed constat multis arboribus, vt aceruus tritici, est multa grana tritici collecta & congesta.

Canones pro explicandis collectiuis sunt hi:

I. Præter nomen consideretur an collectio facta sit ex multis accidentibus, an verò ex substantijs.

Rara quidem sunt exempla collectiuorum accidentium, sed tamen sunt aliqua: & inprimis memorabile collectiuum

collectiuum accidentale est Philosophia, quam etsi varij variè definire conati sunt, frustra tamen in eo laborarunt; quia nimirum Philosophia non est aliquod Ens per se, quod perfectam definitionem recipiat, sed est Ens collectiuum, id est, res multa, nimirum Metaphysica, Mathematica, Ethica, simul sumta: Quod etiam apparet ex illa definitione, quam tamen nonnulli putant esse valde perfectam, *Philosophia*, inquiunt, *est habitus sapientiâ & prudentiâ constans*: Dum dicunt, *sapientiâ & prudentiâ*, facile poterant cogitare, non esse rem vnam quam definiunt, sed variam atque collectam.

II. Considerentur subiecta, seu res ex quibus thema est collectum.

Nam confusum omne intelligitur euolutione distinctorum: Ita mundus thema est collectiuum, ideo nunquam poterit perfectè intelligi, nisi ea, ex quibus mundus integratur, distinctè fuerint explorata.

III. Considerandum est an subiectis illis multis inter se collectis adhæreat relatio, & tum relatio illa per præcepta supra tradita fuerit explicanda.

Magnus est huius canonis vsus in doctrina de politia, Regno & ciuitate: Hæc enim tria collectiua quidem sunt; quid enim aliud est ciuitas, quàm multi ciues, sicut & allusio vocabuli docet, quâ ciuitas dicitur, quasi ciuium vnitas: interim tamen multis ciuibus aut subditis ita collectis in vnum locum adhæret relatio tum ad Magistratum, tum etiam mutua ciuium inter sese: ideo nunquam rectè ciuitatis natura explicabitur, nisi recurrendo ad considerationem relationis istius, quæ est ad magistratum & ciuium inter sese.

Sic in Theologia collectiuum thema occurrit admodum vtile & necessarium, *Ecclesia*, vid. quæ definitur à Theologis *cœtus seu multitudo electorum*: Ex qua descriptione apparet, Ecclesiam esse collectionem individuorum, & ideo non posse tractari tanquam Thema aliquod absolutè perfectum. Ibi ergo primò post considerationem nominis in lingua Hebræa, Græca & Latina, cogitandum erit de duplici genere; vno quidē respectu materiale

materialis, altero vero respectu formalis: Materiale Ecclesiæ sunt omnes electi, siue sint in hac, siue in cœlesti vita: Itaque ad substantiam quodammodo referri Ecclesia potest, & quodammodo ad quantitatem seu numerum: quia omnis multitudo est numerus, & omnis cœtus est multitudo; sed quia huic multitudini Relatio adhæret, ideo inprimis ad prædicamentum Relationis conuertendus est animus, præsertim cum symbolum Apostolicum dicat esse *Ecclesiam communionem Sanctorum*: communio autem omnis relatio est: Porro relatio illa Ecclesiæ est duplex; vna quidem membrorum ad caput, altera vero membrorum inter se: ideo Ecclesia definiri poterit, *cœtus electorum in vno capite Christo, & inter se vnitorum, per Spiritus sancti vinculum ad finitionem æternæ salutis.* In qua definitione præter genus materiale & formale, etiã cõtinetur causa efficiens & finis, quibus deinde addi possunt ea, quę cũ themate perfecto sunt communia, nimirum cognata & pugnantia.

Restat thema Priuatiuum, cuius canones sunt hi:

I. Prater nomen consideretur genus eius rei, cuius priuatio proponitur, ita nimirum, vt fiat reuocatio ad habitum.

Nullam priuationem posse intelligi sine habitu eius, cuius est priuatio, monuit System. p. 27. Et ratio est, quia priuatio est mera negatio, nisi respectu subiecti illius consideretur, in quo habitus inest: idcirco, vt omnis negatio affirmationem præsupponit: ita priuatio præsupponit habitum. E.g. In Physicis putredo non potest intelligi sine apta cognitione commixtionis qualitatum; & in Theologia doctrina de peccato nunquam rectè explicabitur, nisi resoluatur peccati consideratio in doctrinam de imagine Dei, & in explicationem congruentiæ voluntatis & actionum nostrarum cum lege diuina; quia, vt Iohannes dicit, *peccatum est ἀνομία*. id est, priuatio congruentiæ cum lege Dei. Illam ergo congruentiam & rectitudinem oportet prius solidè intelligi antequam discrepantia & irrectitudo

tudo voluntatis & actionum possit explicari ; quod vt studiosi Theologiæ tantò melius percipiant, exemplo & simili quodam declarabimus. Lunæ defectus seu priuatio luminis in Luna, nunquam potest solidè intelligi, nisi cogitatione concipiamus lumen Lunæ, quod est habitus, & cuius negatione Eclipsis illa seu defectus ponitur : itaque non potest institui vlla definitio aut descriptio eclipseos, nisi facta luminis tanquam habitus mentione.

II. DESCRIPTIO *deinde priuationis addatur, additis ad negationem habitus caussis priuatiuis, & subiecto, in quo est priuatio.*

Peccatum est irrectitudo voluntatis & actionum humanarum, orta à Diaboli instinctu, naturæ deprauatione, & appetitus atque affectuum illecebris.

III. Cognata & Pugnantia in priuatiuis sic addi possunt, vt cogitetur oppositionem priuationis esse perfectionem.

Ita cognatum peccati in homine, est peccatum Diabolorum : oppositum autem peccati est rectitudo voluntatis & actionum. Itaq; iam absoluimus doctrinam de tractatione thematis simplicis, ita necessariam & vtilem, vt nullis laudum encomijs satis possit extolli, & ab ingenijs tantum accuratis & liberalibus pro dignitate æstimari, cum sit fundamentum omnium dubitationum disputationum & decisionũ, quę in omnibus Philosophiæ & Theologiæ partibus possunt constitui.

CAPVT VI.

DE TRACTATIONE THEmatis coniuncti per secundam Logicæ partem.

EXpedita tractatione thematis simplicis, consequens est, vt ad Thematis coniuncti tractationem Logicæ studiosos deducamus.

Est autem coniunctum thema, quod ex simplicibus

cibus combinatur, ita vt fiat materia & obiectum secundæ & tertiæ functionis, quam ratio seu intellectus humanus peragit.

Vt in ipsis præceptis & Systemate Logico se uti sumus ductum rationis humanę; vtpote cui illa Logica instrumenta debent seruire: ita etiam in vsu præceptorum monstrando eadem nobis via tenenda fuit. Et cum hactenus perlustrauerimus officinam primę functionis, atque in ea mentem nostram exercuerimus: consequens est, vt secundæ quoque functionis apparatu instrumenta & exercitationem expediamus, atque ita secundi libri Systematis nostri vsum adumbremus, id quod fiet quam breuissimè; quia nimirum doctrina ista de propositione rariorem habet exercitationem siue genesin, & potissimus eius vsus perspicitur in ipso Syllogismo ac disputatione.

Est ergo tractatio thematis coniuncti ad secundam Logicæ partem instituta, qua integram aliquam propositionem sine sententiam combinat & constituit: Eiusq; Canones sunt hi:

I. Subiectum & prædicatum propositionis suo quodlibet loco rectè ordinetur.

Multum in eo esse situm, vt id in propositione subjiciatur, quod in natura extra mentem est subiectum, & id prædicetur quod in natura non subest, sed inest; id vero ostendimus pagina 310. Systematis: vbi simul docuimus facilè accidere posse, vt cryptica sit dispositio terminorum in propositione, quæ nisi cautè indicetur, necesse est sensum propositionis penitus deprauari; vt, si quis talem sententiam constituat: *Nobilitas sola est atq; vnica virtus*: non erit legitima genesis axiomatica in ipsa mente, nisi *virtus* cogitetur primo loco tanquam subiectum sententiæ: *nobilitas* autem postponatur tanquam prædicatum.

II. Negatio siue negatiua particula ad faciendam propositionem negatiuam eo loco collocetur, quo vinculum affirmationis rumpi potest.

Nega-

Negatiua propoſitio non eſt ea ſtatim, quæ negatiuam habet particulam: ſed ea demum quæ negationem habet certo loco poſitam: ſiquidem multæ ſunt propoſitiones, quæ *infinitæ* vocantur & affirmatiuæ ſunt, licet aduerbium negationis expreſſum habeant, vt multis exemplis docuimus etiam ad Theologiam pertinentibus pag. 324. Syſtematis. Iam ergo cum quis mente concipit hanc ſententiam Chriſti Matth. 14. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cœleſtis, eradicabitur*, & in mente ſua geneſin propoſitionis negatiuæ inſtituit, à mente Chriſti & ſenſu vero multum aberraret. Nam etſi hic adſit aduerbium negandi, tamen quia non adhæret prædicato, ſed pertinet ad deſcriptionem ſubiecti, ideo non negans, ſed affirmans eſt ſententia.

III. Nota vniuerſalitatis rectè collocetur, & iudicetur, vtrum ſit abſoluta, an limitata, an diſtributiua, an collectiua.

Videantur exempla varia ad hanc ſententiæ geneſin pertinentia, pag. 326. & ſeq. Syſt.

IV. Prædicatum ad ſubiectum rectè reſtringatur & limitetur.

Plurimum certè eſt in hac geneſi ſententiæ ſitum; ſiquidem, qui bene diſtinguit & limitat, idem etiam bene docet; & ratio eſt, quia prædicata licet eadem, tamen ſimul vera & falſa eſſe poſſunt, ſi cauta & prouida limitatio abſit, quæ idcirco ſemper in mente tacitè eſt cogitanda, de qua re non eſt neceſſe hic prolixius per exempla agere, cùm p. 345. & ſeqq. id ſit factum.

V. Coniunctiones præſertim conditionales in propoſitione rectè à reliquis partibus diſtinguantur.

Veritatem & falſitatem in conditionali propoſitione omnem ineſſe in recto ſitu ac coherentia Antecedentis & conſequentis, p. 36. Syſtem. docetur, ita vt ad geneſin ſententiæ quoque hæc admonitio pertineat.

VI. Conditionalis Propoſitio per mentis cogitationem reuocetur ad propoſitionem ſimplicem.

Tum demum intelliguntur ſolidè compoſita, quan-

do in ſimplicia reſoluuntur: Cum ergo propoſitio conditionalis compoſita ſit, non poteſt vel rectè conſtitui, vel ſolidè intelligi; niſi ad ſimplicem reducatur: quæ geneſis qualiter fieri poſſit & debeat, p. Syſt. 371. & 471. oſtendimus.

VII. Sententia conſtituta rectè reciprocetur & conuertatur.

Conuerſionem propoſitionum valde commendat Ariſtoteles, & habet omnino vſum ſuum in omnibus diſciplinis, vt in Theologia oſtendimus pa. 356. & ſeq. Syſtematis.

VIII. Impropria Propoſitio reducatur ad propriam.

IX. Contingens reuocetur ad neceſſarium.

X. Conſideretur ad quam diſciplinam propoſita ſententia pertineat, id quod diſci poteſt ex ſimplicium terminorum in propoſitione natura: Hi enim, ſi Phyſici ſint, Propoſitio ad Phyſicam pertinebit: Si Theologici, ad Theologiam, & ſic deinceps.

CAPVT VII.

De diſputatione ſolitaria, ſiue tractione problematis.

TAntum ſufficiat de geneſi thematis coniuncti per inſtrumenta ſecundæ partis Logicæ: tertiæ partis geneſis eſt vel Syllogiſtica vel methodica.

Syllogiſtica eſt, cum problema aliquod ſiue quæſtio coniuncta tractatur confirmando aut refutando, vt veritas, ſi ignota ſit, inueſtigetur; ſi obſcura, declaretur; ſi dubia, confirmetur: & dicitur hæc tractatio Logicis Diſputatio.

Diſputatio eſt vel ſolitaria, vel ſocialis.

Diſputationis nomen frequens admodum & illuſtre ſumtum ab hortulanis, qui vt explorent interiora arborum:

arborum, solent corticem discindere & separare, id quod propriè est disputare, sicut putare, est corticem resecare, id quod L. Viuès lib. 1. de causis corr. artium pulchrè explicat, & ad institutum Logicum accommodat: *Disputatio*, (inquit) *dicitur, quod per eam veritas ceu putetur & purgetur:* & ab initio libelli quem de disputatione scripsit, ita præclarè inquit: *Veritatem non plenè aut apertè mentis nostræ acies intuetur, multa & densa corporis obscuritate hebetata: sed nos obscuritatem hanc à nobis in res ipsas traducimus: quo sensu etiam Democritus pronunciauit veritatem in altissimo putee demersam latere: ad purgandos autem hosce cortices, vt nucleus prodeat purus, ingenium humanum examinandæ veritatis facultatem à Deo accepit, cuius functio disputatio nominatur: Nam quemadmodum vites aut nuces purgantur, reiectis inutilibus; ita in examine illo & inquisitione veritatis, remotis vel falsis vel ambiguis & incertis ad ea venitur, quæ procul dubio sunt vera. Lux hæc est, quæ ingenio nostro infertur, vt per quæ in confesso recipiuntur vera, illa de quibus dubitetur, explanentur. Sic ergo nobis definita disputatio, argumentorũ ad aliquid probandum aut improbandum comparatio.* Hactenus Viues: In nostra verò definitione, finis disputationis paulò explicatius, describitur, quòd scili. triplex sit, videlicet. 1, Quod inuestigatio sit veri penitus ignoti. 2, Declaratio veri non planè ignoti, sed tantum obscurè cogniti, & 3, denique, confirmatio veri; cogniti quidem, sed ita tamen, vt de eo aliquid dubitemus: Vnde Aristoteles ait *ἀπορίαν siue dubitationem præcedere ἐπορίαν siue veri confirmationem, & per illam nos moueri*, vt istam scilicet *ἐπορίαν* inquiramus libr. 3. Metaph. cap. 4. Atq; hoc est quod Nazianz. al cubi dicit, *veritatem disputatio omnibus logicis tritam in lucem proferri, non secus ac silicum attritu conflictuque ignis elicitur.* Et Io. Picus mirandulanus in lib. de Ente pulcherrimè inquit, *Disputationem esse cribrum veritatis, & suauissimum anima cibum.* Et extat grauissima sententia in libello quem Atenagoras Philosop. Christianus de mortuorum resurrectione scripsit ad M. Antonium Imp. *Omnib.* inquit, *dogmatib. aliquid falsi adhærescit, non quidem ex origine naturali rerum, neq; ex essentia causis, sed per accidens & ex deprauato studio eorum,*

qui adulterinam sementem ad corrumpendam veritatem in precio habent; idcirco oportet eam qui de rebus planè dicere velit, duplici ratione uti, vna ὑπὲρ τῆς ἀληθείας, quæ est disputatio: altera περὶ τῆς ἀληθείας; quæ est institutio. Cæterum diximus duplicem esse disputationem, idque ex Aristotelis ore sumpsimus: nam is lib. 8. Top. c. 1. & lib. 2. Elench. cap. 1. disputationem ita diuidit, quod vna sit πρὸς ἡμᾶς, 1. talis quando aduersario non præsente, nec vocaliter opponente tacita meditatione, aut scriptione quæstionem aliquam controuersiam tractamus: alteram disputationem esse πρὸς ἄλλον καὶ ἕτερον, cum nimirum aduersarius præsens est & nobiscum sermonem conserit: quæ quidem proprè διάλεξις dicitur, à διαλέγεσθαι, quod est colloqui.

Solitaria disputatio est, cum controuersum aliquod problema seu quæstionem tacitè ipsi tractamus, aduersario non præsente nec instante.

In hac duo spectanda sunt. 1, ipsa quæstio seu problema, siue status controuersiæ. 2, modus confirmandi & refutandi.

Problema est materia, quæ disputationi subijcitur.

Varijs nominibus solet disputationis materia appellari; interdum dicitur *quæstio*, interdum πρόβλημα, à προβάλλεσθαι, quia scilicet, obijciatur disputando; interdum controuersia: item, θέσις, & status controuersiæ; Sed hæc nomina posteriora cum demum sortitur quando quæstio dubitanter proposita resoluitur in aliquam certam propositionem, seu conclusionem, quam confirmare aut refutare volumus.

Canones de materia disputationis sunt hi:

I. Materia ad disputandum proposita, ne violet pietatem aut religionem.

Non est sensus huius canonis, quasi de capitibus religionis penitus disputare non liceat; sed quod non facilè sub disputationem trahenda sint illa prima princi-

pia

pia religionis, in quib. omnes Christiani vel etiam omnes homines luce naturæ consentiunt: Non facilè quærendum, *An sit Deus: An sit prouidentia: An post hanc vitam restet alia: An Deus sit colendus: An parentes honorandi:* Et à talibus quidem disputationibus petentib. prima fundamenta & principia nobiscũ nascentia, ipsi etiam Ethnici abhorruerunt. Ideo Plato dicit 1. libr. de Rep. *Sicut monstrosi partus non educantur, ita portentosas disputationes & monstrosas opiniones in Rep. non esse tolerandas:* Et præclara est pietas Aristot. 1. Top. 11. c. vbi inquit; *Non oportet omne problema aut omnem Νοῦν in quæstionem vocare, sed eam de qua dubitare quisq; possit, egens argumentis, non pœna aut sensu: nam qui, inquit, ambigunt vtrum oporteat Deum colere, & parentes diligere, castigatione sunt digni.* Et Cicero in lib. de diuinatione; *Pessima*, inquit, *consuetudo de Deo disputare siue serio id fiat, siue ioco.* Et sancti patres grauissimè etiam tales disputationes taxarunt; vt Athanasius; *Non*, inquit, *est disputandum de articulis fidei, ne quæ certissima sunt, incerta fiant;* & Nazianzenus, *Non omnibus*, inquit, *nec semper, neq; omnia de Deo philosophari conceditur, sed est quibus, & quando, & quantum.*

II. Thesis seu materia disputationis ne sit de rebus planè manifestis, & dubitationem nullam habentibus.

Etiam tales disputatores, qui de rebus manifestissimis disputant, grauissimè ab Aristotele reprehendũtur citato loco, & 1. lib. ad Eudemum, cap. 6. Et Anaxagoras pulcrè inquit, Οἱ μαχόμενοι περὶ τῶν φανερῶν οὐ λόγων δέονται, ἀλλὰ πληγῶν. i. *qui disputant & contendunt de rebus manifestis, non rationibus, sed verberibus opus habent:* Et Auerroës alicubi dicit, *eum qui dubitet an ignis vrat, tam diu esse igni admouendum, donec id sine argumentis fateatur:* Et Athanasius grauissimè ait, de reb. claris disputare, est occasionem impudentiæ dare. Et Galenus in opusculo de optimo genere docendi ridetissimul ac reprehendit Fauorinum philosophum, qui integro libro disputauit *an sit sol:* Idcirco Cassiodorus lib. 3. variarum lect. c. 3. *Pessima*, inquit, *consuetudo est despicere veritatem, quod fit, si de rebus manifestissimis dubitetur.* Hinc nimi-

rum grauiter taxantur veteres Philoſophi, vt Anaxagoras, Protagoras, Heraclitus & alij, quod diſputarint, an nix ſit alba: Item, an omnia ſint in perpetuo fluxu. Et Zeno meritò ridetur à Diogene Cynico, cum diſputaret *an ſit motus*: item cum dubitaret, *An in mundo contineretur, an vero mundum ipſe contineret*: Item, *an eſſet vir, an fœmina.*

III. CANON. *Materia diſputationis ſit vtilis & grauis, non inepta aut ridicula.*

Ita enim requirit finis diſputationis, qui eſt veritas; res nimirum ſacroſanctæ, ideo etiam ſanctè tractandæ, non verò proſtituendæ turpiter ad riſum: id quod etiam diuus Apoſtolus monet 2. Tim. 2. ſeriò mandans, *vt ſtultas & inerudites quæſtiones repudiemus*: de qua re ſuper illum locum Apoſtoli multa grauiter diſſerit Hieronymus & Auguſtinus quoque cap. 6. libr. De fide & ſymbolo, & idem Hieronymus ſuper cap. 10. Eccleſiaſtæ; *Lege*, inquit, *verſutias Zenonis, Carneadis, & aliorum, & probabis verum eſſe quod dicitur: Labor ſtultorum affligit eos.* Talibus quæſtionibus ſcatent Scholaſticorum diſputationes, quas illi multas mouent de aſini vmbra, de lana capina, aut chimæra ſaltante in vacuo: vt cum quærunt, *Poſſitne Deus materiam primam facere ſine forma: num continuum in omnes ſuas partes poſſit diuidere, verum mus edens hoſtiam ſit exenterandus.* Eiuſmodi quæſtiones hodie ipſi cordatiores Pontificij derident, vt inprimis Melchior Canus, Epiſcopus Hiſpanus libro nono, cap. ſeptimo. Eiuſmodi inepta quæſtio eſt eorum Theologorum, qui hodie diſputant, *an impij etiam & reprobi edant corpus Chriſti.* Quid enim attinet de eo quærere, quod nec ad pietatem docendam, nec roborandum quicquam habet momenti?

IV. Materia diſputationis ne excedat captum mentis humanæ.

Etiam hunc canonem Ariſtoteles ſuppeditat citat. loco c. 1. Top. vbi circa finem inquit, *non eſſe diſputandum de iis, quorum nimis remota eſt demonſtratio.* Et Nazianzenus libr. 1. de Theolog. inquit, *de his ſolummodo eſt*

eſt diſputandum, ad quæ humana acies pertingere poteſt, & quatenus conditio auditoris & facultas aſſequi poſſit, ne vt intentior vox auribus, vt immodicum alimentum corpori, vt denique imbres terræ nocent, ita auditores grauati quæſtionibus nimis altis damnum accipiant.

V. Materia ad diſputandum propoſita informetur verbis perſpicuis & minime ambiguis.

Secus enim ſi fiat, oriuntur verborum pugnæ, ſiue logomachiæ, valde odioſæ & impedientes rerum ipſarum accuratam inueſtigationem, ita vt Cic. rectè dicat, *in verborum vſu facilis nos eſſe debere, cum de rebus conſtat.*

VI. Materia diſputationis eiuſmodi deligatur, quæ hodie ſit controuerſa.

Sunt enim multæ præſertim in Theologia obſoletæ & diudum ſepultæ quæſtiones, quas non oportet iterum velut ex inferno in lucem protrahere, ne Camerina, quod dicitur, moueatur: Idcirco ſtudioſi Theologiæ inprimis monendi ſunt, vt cum publicas vel priuatas diſputationes inſtituunt, eas potiſſimum materias deligant, quæ in hoc ſtatu Eccleſiæ vſum certum habent, & vel ab *Arianis*, vel *Pontificijs*, vel *Vbiquitarijs* & *Anabaptiſtis* (tot.n) hodie præcipue ſectæ dominantur) in controuerſiam trahuntur, vt cum aliquando poſtulat illorum officium, cum eiuſmodi ſect. feliciter poſſint congredi.

Eſt autem problema quod ad diſputandum proponitur, vel perfectum vel imperfectum.

Perfectum eſt, cuius termini ſunt vniuerſales, ita, vt poſſint argumentis neceſſarijs & artificialibus probari aut improbari.

Imperfectum eſt cuius termini ſunt ſingulares, ita, vt potiſſimum inartificialibus argumentis ductis vel ab authoritate ſcriptorum, vel à teſtimonio ſenſuum probari neceſſe habeant.

De hac diſtinctione concluſionis probandæ & diſputandæ

tandæ monuimus p. 410. Syſt. Vbi diximus circa inuentionem medij termini id inprimis eſſe attendendum, *vtrum vniuerſalis an ſingularis ſiue hiſtorica quæſtio propanatur*: nam nunquam fieri poteſt, vt quæſtio hiſtorica plenè & dextrè expediatur ſine teſtimonio ſenſuum: Cum contra quæſtio vniuerſalis è locis inuentionis facile probetur ſine ciuſmodi ſenſuum adminiculo, vt e. g. cum quæritur, *an Troia ſit capta a Græcis per equum ligneum in vrbem introductum*, vt ſcribit Virgilius, *an vero proditione Æneæ, vt alij velunt*, eſt quæſtio Hiſtorica, ideo per locos inuentionis è Logica deprompros non poteſt definiri, cum contra nulla quæſtio vniuerſalis tam ſit difficilis, quam ad eam probandam medij termini ex Logica poſſint inueniri.

Tractatio problem. eſt vel primaria vel ſecũdaria.

Primaria eſt, quæ inſtituitur ſecundum hos canones.

I. Status controuerſiæ dextrè & ſine vlla ambiguitate conſtituatur, eligendo theſin affirmantem aut negantem quam velis defendere.

Hic canon vt loco, ita dignitate primus eſt: Nam ſtatus controuerſiæ eſt principium & veluti menſura totius diſputationis, quæ ſuum finem & euentum bonum nunquam conſequetur, ſed potius in infinitum vagabitur, ſi in ſtatu controuerſiæ ponendo ſit peccatum, ita vt merito Ariſtoteles primo Topic. cap. 9. de eo moneat diligenter attendendum eſſe, ne à theſi noſtra abducamur: error enim in principio minimus ſit maximus in fine.

II. Præcognitio futuræ probationis & refutationis idoneæ inſtituatur per definitionem Subiecti & Prædicati: itemque per idoneas limitationes & diſtinctiones, quæ totius diſputationis futuræ ſunt futura principia.

Sine præcognitis & præſuppoſitis impoſſibile eſt fœliciter diſputare, itaque oportet ſemper partes aduerſas in certis quibuſdam principijs conuenire; ſecus enim

enim contra negantem omnia principia, nec potest nec debet disputari. Qui enim in primo non conueniunt, ijdem etiam in secundo nunquam conuenient. Prima autem principia sunt axiomata naturæ notæ vel diuinitus reuelatæ: item definitiones, diuisiones, distinctiones & limitationes.

III. Confirmetur thesis proposita per argumenta primum artificialia, ducta ex natura subiecti & prædicati. 2, etiam inartificialia sine testimonia & autoritates.

Duo circa hunc canonem considerandæ sunt 1, Quomodo inueniantur medij termini pro conclusione aliqua probanda. 2, Quomodo copia mediorum terminorum seu argumentorum sit parandæ, quorum prius docuimus p. 413. alterum p. Syst. sequenti, ita, vt non sit necesse dicere aliis vbi de vtili, sed ibi satis expedita prolixius monere.

IV. Post confirmationem ponatur thesis aduersarij, nostræ thesi directè opposita.

V. Subijciatur refutatio, tum distinctionum, quibus ad nostra argumenta respondent, tum obiectionum etiam aduersarij.

VI. Repetatur thesis comprobata, & colligantur porismata ex conclusione per argumenta confirmata.

Atque hæc est vera & plena methodus tractandi problematis, à qua non discrepat ea, quam doctissimi Theologi ac Philosophi hodie obseruant ad imitationem Euclidis conformatam, ita vt primo ponant τὸ ὑποκείμενον & τὰ δεδομένα; postea τὸ ζητούμενον. 3. ἀξιώματα. 4. ἀπόδειξιν. 5. συμπέρασμα, & denique 6. πορίσματα. Vide problemata & theoremata clarissimi Theologi, *Iohannis Iacobi Grynæi*, quæ hac methodo sunt tractata. Nunc eorum canonum, quos tradidimus, exemplum subijciamus. Sit pro exemplo problema in Philosophia simul ac Theologia vsum maximum habens.

An

An accidentia propria vnius ſubiecti poſſint communicari alteri ſubiecto realiter diuerſo.

Præcognita ex parte Subiecti.

1, Accidentia propria ex Logica dicuntur quæ habent nexum eſſentialem cum Subiecto neceſſarium & reciprocum. Porph. c. 5. S. 5. & 6. Ariſtoteles 5. Top. c. 5. 2. propria accidentia duplicia ſunt; perfecta ſcilicet quæ proximè ab eſſentia ebulliunt, tanquam ex cauſa immediata, atque ita ſubiecto inſunt ſecundũ omnes neceſſitatis gradus ſine vlla exceptione loci aut temporis, vt ſunt omnes potentiæ primæ naturales, mobilitas in corpore naturali, ſenſibilitas in animali, riſibilitas in homine: hæc vocat Ariſtoteles *κατ' ἴδιον*, 5. Top. 1. S. 2. Et c. 3. S. 5. 1. De anima, text. 11. Sunt deinde imperfectè propria, quæ non proximè ebulliunt ab eſſentia ſubiecti; ſed inter hanc interiacentem habent cauſam aliam immediatam, à qua proximè fluunt. Ariſtoteles 5. Topic. 1. vocat *πάθη ἴδια*. Porph. c. 5. & alibi, *Propria tertij modi, quæ patiuntur defectum in primo neceſſitatis gradu: Siquidem ſubiecto nec ſemper nec vbique inſunt.* Sumitur interdum etiam vox *proprij*, pro eo, quod quidem per ſe eſt Acidens commune, ſed tamen dicitur proprium reſpectiue, quatenus ſcilicet alijs non ita ineſt, ſicut Ariſtoteles 5. Top. c. 1. bipedem eſſe facit proprium hominis reſpectu quadrupedum. Sumitur etiam proprium Ariſtoteli 1. Top. & alibi complexiuè, pro tota definitione, ſed hic tantum accipimus in prima & ſecunda ſignificatione, prout 1. Præcognitum definiuit.

Præcognita ex parte prædicati.

I. Communitas ſeu communicari, & *κοινωνία* interdum ſumitur pro cauſatione, quando videlicet cauſa aliqua effectum alteri alicui tribuit: ſic Deus dicitur communicare ſuam bonitatem creaturis; ita ignis calorem ſuum aquæ. Interdum verò *κοινωνία* ſeu communio ſumitur pro poſſeſſione vnius eiuſdemque ſpecie accidentis, inhærentis in diuerſis ſubiectis; & ita

hæc

hæc vox in hac quæſt. proprie vſurpatur: Non enim hic ſpectatur cauſalis effectus, ſed vnius accidẽtis participatio, vt in perſona Chriſti quæritur, *An vbiquitas Deitatis propriè poſſideatur ab humanitate.* 2. realiter diuerſa ſubiecta ſunt, quorum alterum non eſt alterum, ſeu quorum alterum non ſumitur in definitione alterius, quomodo realiter diuerſa ſunt humanitas & diuinitas Chriſti: ſiquidem nec diuinitas, humanitas, nec hæc illa dicitur, nec vna ſumitur in definitione alterius, vt fit in illis, quæ tantum formaliter ſunt diuerſa, & non realiter; homo enim dicitur eſſe ipſum animal, quia animal ab homine non eſt realiter diſtinctum: Ideoq; in problemate quæritur de talibus ſubiectis, quorum alterum non eſt in alterius definitione: non autem de eiuſmodi quæ realiter idem ſunt, at tantum formaliter diſtinguuntur: talibus enim ſunt omnia communia, vt dicitur: *Quicquid ineſt generi, ineſt etiam ſpeciei.*

Conſtitutio theſeos negatiuæ.

Nulla propria vnius Subiecti communicantur alteri realiter diuerſo.

Κατασκευὴ ſeu *Confirmatio.* Ratio 1. *Quorum eſſentia & definitio non eſt communis, illorum etiam propria non ſunt communia.* At ſubiectorum realiter diuerſorum (vt diuinitatis & humanitatis Chriſti) eſſentia & definitio non eſt communis. Ergo propria, non eadem. Ratio conſequentiæ in maiore eſt, quia vt in Prædicamentis fuit poſitum, eſſentia eſt cauſa proxima, à qua neceſſario ebulliunt propria, & ad quam vnam & indiuiſam tanquam aliquid ἀπλοῦν, eiuſmodi propria ſunt determinata: Cum ergo omnis effectus, vbicumque ſit, ineuitabili neceſſitate ſit cum cauſa proxima vnitus: neceſſe foret etiam eſſentiam ſubiectorum, ſubiectis illis eſſe realiter communem, ſiquidem ab hac fluunt propria, tanquam à cauſa: Itaque aduerſarios ad abſurdum deducimus hoc modo: *Quæ communia habent ἀπλοῦν, habent communem οὐσίαν: Subiecta realiter diuerſa habent communia ἀπλοῦν. Ergo Subiecta realiter diuerſa habent communem οὐσίαν, eſſentiam, & definitionem.* Concluſio eſt abſurdiſſima. quia implicat contradictionem. Ergo vel maior vel minor

minor erit absurda: Non maior, quia nititur principio Logico: Vbi ponitur effectus, ibi necessario causa proxima: idcirco minor erit absurda, atque adeo eius contradictio vera.

Ratio II. *Omne oppositum & diuersum includit in se oppositi diuersi negationem: At commune esse & proprium esse sunt opposita diuersa. E. & proprium in se includit communitatis negationem.* Vnde sic aduersarium ad absurdum compello, ea specie argumentationis quæ dicitur ἐξ ἀντικειμένων. *Nullum proprium est commune: Quoddam proprium est commune. Ergo quoddam proprium non est proprium.* Conclusio est manifestè absurda. E vel maior vel minor. Non maior, quia nititur principio, quod omnia opposita includant negationem: Esse autem opposita proprium & commune, nemo sanus negabit. Ergo minor absurda & eius contradictoria vniuersalis vera: Nullum proprium est commune, vel communicatum: nam hæc sunt ἰσοδυναμοῦντα.

Ratio III. *Quod tollit discrimen inter accidens proprium & commune, id absurdè statuitur: At communicatio propriorum tollit hoc discrimen: E.* Minor probatur, quia omnes Philosophi ex Aristotele docent accidens commune & proprium differre præcipuè ratione inhæsionis: dum proprium inhæret suo subiecto specifico & determinato: &, vt Scotus super prædicabilia loquitur, *exquirit patronum & dominum tantum vnum. Accidens autem commune,* vt idem loquitur, *propter sui capitis fluxibilitatem est indeterminatum ad plura diuersa subiecta:* Et hæc est præcipua causa, inquit idem, cur accidentia dicantur communia, quia scilicet possunt inesse duobus vel pluribus subiectis specificè distinctis: quod de proprijs impossibile est affirmare.

Ratio IIII. *Propria sunt causæ distinctionum: Ergo non sunt communia diuersis subiectis.*: quod enim est causa discrepantiæ, id non potest esse causa conuenientiæ respectu eiusdem: quod autem accidentia propria secundum rei essentiam & formam præcipuè rem à re discernant, perspicuè docet Aristoteles libro I. De anima, t. II. & Porphyr. cap. 4. t. 3. vbi dicit διαφορὰς ἰδίως distinctam sumi etiam à proprijs accidentibus Hactenus fuerunt

runt argumenta artificialia: restat in artificiale ductum à testimonio: vbi 1. adduci possunt auctoritates Theologorum, vt Theodoreti dialogo tertio: Vigilij libro 5. contra Eutychetem, cap. 2. & seqq. ipsius Lutheri in libro de concilijs, qui omnes vno ore statuunt sublatis proprietatibus confundi naturas.

Accedit authoritas philosophica Aristotelis, Porphyrij, & omnium saniorum eius interpretum, ex quibus ne vnum quidem producere hactenus aduersarij potuerunt, qui vel leuissima specie propriorum communicationem probaret. In primis autem est manifestum dictum Aristotelis 2. Topicor. 5. 1. 5. vbi inquit, οὐδεὶς γὰρ ἴδιον λέγει τὸ ἐνδεχόμενον ἄλλῳ ὑπάρχειν.

THESIS ADVERSARIA.

Quædam propria vnius subiecti communicantur alteri realiter diuerso.

Hæc thesis directè contradicit thesi veræ ante probatæ. Itaque cum impossibile sit duas contradictorias simul esse veras: ex probata veritate nostræ huius Theseos contradictoriæ falsitas per se patet: sed ne quicquam desit ad plenam problematis tractationem, etiam directa ἀνασκευὴ huius theseos est instituenda: quæ quidem duplex erit: vna præcognitorum, seu distinctionum & limitationum, quibus aduersarij vtuntur: altera rationum seu argumentorum, quibus hanc thesin conantur probare.

Ἀνασκευὴ seu Refutatio distinctionum, & limitationum.

Distinctio prima inter μέτεξιν & κοινωνίαν.

Varias, vt in mala causa fieri assolet, latebras quæsiuerunt illi, qui, vt Vbiquitati patrocinentur, communicationis propriorum absurditatem in Philosophiam & θεολογίαν inferre sunt ausi. Tres habent distinctiones & limitationes, quibus tum ad argumenta orthodoxorum conantur respondere, tum θέσιν suam explicare, tum velut quibusdam præcognitis munire. Ex his prima est,

eſt qua diſtinguunt inter μέτεξιν & κοινωνίαν: aiunt enim ſi vocem *communicationem* ſumas pro μετέξει, tum ſe vltro concedere, quod nulla detur communicatio propriorum: non idem vero, ſi per communicationem intelligas, quod Græci κοινωνίαν vocant. Sumunt occaſionem huius diſtinctionis ex l. 5. Top. c. 4. t. 5. Vbi Ariſtoteles περὶ μετέξεως ait. Sed reſponderi poteſt dupliciter. 1. diſtinctionem illam & vanam eſſe, & puerilem, quæ non ipſum illud quod in problemate controuerſo ponitur, ſubiectum aut prædicatum diſtinguit, ſed aliud aliquid à longinquo aſſumit, de quo ne per ſomnum quidem in propoſito problemate cogitatur, vt certè nemo vnquam orthodoxorum vocabulum, communicationis, in hoc problemate ſumpſit pro μετέξει, cum id ipſa determinatio prædicati manifeſtè indicet, vtpote cum dicatur non ſimpliciter aut abſolutè communicatio, ſed communicatio propriorum: Propriorum autem nulla eſt μέτεξις, vt ſatis patet ex citato loco Ariſtotelis, vbi dicitur quod μετέχειν ſit recipere definitionem eius, quod communicatur; & certè facile intelligitur à quouis, ſubiectum non recipere definitionem ſui proprij accidentis: pertinet ergo μετέχειν ad communicationem ſeu participationem Generis in Speciem. Species enim Generis definitionem participat. Itaque, ſi quid voluiſſent diſtinguere aduerſarij, vocem κοινωνίας τῶν ἰδίων, quæ loco prædicati ponitur, diſtinguere debuiſſent: Regula eſt Logica de ambiguis, & ea quidem vetus, quam Ludouicus Viues iudicioſiſſimus autor repetit, libro primo de cenſura veri, cum ait, tenenda eſt hæc Regula: *Quod in propoſito non eſt ambiguum, non eſt habendum pro ambiguo, vt ſi quis quærat, ex quibus elementis conſtet mundus, nihil attinet afferre de mundo muliebri, aut de duce illo Iuſtiniani Imperatoris, vel de Elementis literarum, ridiculus profectò fuerit, qui ita diſtinxerit:* ita ridiculi omnino Vbiquitarij, cum communicationem diſtinguant in eam, quæ eſt vniuerſalium, & eam quæ eſt propriorum, cum in propoſito de communicatione propriorum agatur.

Diſtinctio

Distinctio secunda inter ὡς ὅλον, καὶ ὡς κατ' ἄλλο.

In hac distinctione præcipuam fiduciam habent aduersarij, putantque sibi in ea sibi fuere Aristotelem, qui 5. Top. c. 5. t. 3. distinguit inter ὑπάρχειν ὡς ὅλον, καὶ ὡς κατ' ἄλλο. sed neque distinctio illa quicquam facit ad propositum, quia nostrum problema quærit *de subiectis realiter diuersis seu disparatis*: Aristoteles autem eo loci loquitur *de subiectis subordinatis*, quorum vnum se habet vt genus; alterum vt species: vel vnum vt totum, alterum vt pars: Ibi enim, quod generi inest ὡς ὅλον, speciei tribui potest ὡς κατ' ἄλλο, vt sensus inest animali, ὡς ὅλον, homini ὡς κατ' ἄλλο, id est, non quia homo, sed quia animal. Idque ex eo loco & ex capite nono sect. 2. satis patet; quia distinctionem hanc accommodat primo ad subiectum, cui accidens tribuitur propter αὔξησιν generis: itaque vt generi insit adæquatè; ieu ὡς ὅλον: Speciei autem non adæquatè, sed λυτίρως καὶ ὡς κατ' ἄλλο.

Sic exempli gratia sensus inest, & tribuitur animali ὡς ὅλον, quia hoc est adæquatum eius & reciprocum subiectum: tribuitur autem homini sensus κατ' ἄλλο, & non per sese καθ' αὑτό, sed per & propter animal. Itaque ὅλον idem ibi est, quod καθ' αὑτό, seu adæquatum & reciprocum. Post Aristoteles hos terminos siue distinctionem hanc accommodat ad subiectum absolutum & limitatum, vt prima pars Logicæ distinxit: Quando ergo Accidens aliquod propriè inest parti, & tamen tribuitur toti, propterea quia pars est totius pars, tum Aristoteles dicit, illud inesse parti ὡς ὅλον, toti autem inesse κατ' ἄλλο, id est, κατὰ τὸ μέρος, per ac propter illam partem, scilicet, id quod diserte patet ex Aristotelis exemplo, quod ibi adducit de superficie. Inest enim, inquit, color, e. g. nigredo in superficie, in cute Æthiopis, ideoque cuti Æthiopis nigredo ὡς ὅλον tribuitur, toti vero corpori Æthiopis tribuitur κατ' ἄλλο, seu κατὰ τὸ μέρος, id est, propter cutem. Sic si quis niger dicatur propter barbã, cum aliàs toto corpore sit satis albus, nigredo tribuitur barbæ ὡς ὅλον, toti vero

κατ

κατ' ἄλλο seu κατὰ τὸ μέρος, id est, propter barbam. Est enim immota regula Logica: *Proprium partis rectè tribuitur toti propter partem, quæ est ipsa etiam totius.* Ideo dicunt Logici in talibus prædicationibus totum esse subiectum prædicationis, partem autem esse subiectum inhæsionis, scilicet πρῶτον: quam doctrinam eruditissimè simul, & ad Vbiquitarios refellendos accommodatissimè declarat Vigilius libro primo contra Eutycheten, c. secundo: Vbi exempla adduntur de morte & immortalitate Christi, docetque propter vnionem partium in Christo, mortem dici de toto Christo ὡς κατ' ἄλλο, de natura vero humana ὡς πρῶτον: Immunitatem vero à morte & passione omni etiam de toto eodem Christo dici ὡς κατ' ἄλλο, ὡς πρῶτον de diuinitate eius. Hic ergo est verus sensus illius apud Aristotelem distinctionis, qua rectè intellecta, tantum abest vt heterodoxos iuuet, vt eorum potius in hoc & similibus Aristot. textibus, vel legendis inconsiderantiam, vel peruertendis malitiam manifestam reddat.

Distinctio 3. inter κοινωνίαν propriè κατὰ Σύγχυσιν & κατὰ Συνδύασιν.

Tertia hæc est aduersariorum distinctio, quâ discernendum aiunt inter Συγχυσιν & Συνδύασιν; quarum vtraque propria aiunt communicari posse, licèt in persona Christi communicatio non fiat κατὰ Σύγχυσιν, sed κατὰ Συνδύασιν. Verum responsio facilis est, vtrumque falsum esse: nam nec per Σύγχυσιν, nec per Συνδύασιν vlla fit communicatio propriorum in subiectis realiter distinctis, de quibus est controuersia. Quod si ergo loquantur de subiectis non distinctis realiter, nihil certè ad propositum hoc facit, quod afferunt, vt in Præcognitis manifestum est, Exemplum communicationis per Σύγχυσιν afferunt de hydromelite, id est, melle & aqua inter se commixtis & confusis: vbi quidem aiunt, mellis dulcedinem aquæ communicari: sed primò falsum est, quod dulcedo sit accidens proprium mellis. Est enim commune, vt ex definitione patet, & ex inductione aliorum dulcium, vt γλυκυῤῥίζας, saccari, cassiæ fistularis, & aliorum plurimorum, quæ non pharmacopolis solùm, sed & lippis & tonsoribus sunt nota.

Secundò

Secundò reſpondemus eſſe ὁμωνυμίαν in vocabulo *communicationis*, quod interdum ſumitur pro dari per effectionem, interdum verò communiter poſſideri, vt in Præcognitis patet. Illi autem vtraniq; ſignificationem hic confundunt.

Tertiò denique reſpondemus ad maiorem, & negamus dulcedinẽ ex melle tranſire in aquam, abſente extra aquam melle: quod enim aqua dicatur dulcis, id fit extrinſeca prædicatione propter mel, cuius partes vndiquè alteratæ, inſinuatæ ſunt in aquam. Dicitur ergo hydromeli dulce propter mel, quod ei ineſt, non ſecus ac ſpongia dicitur humida, propter aquam, quæ eius poris vndique inſinuata eſt, vt infra etiam dicetur. Quod de ξωνδάτῳ dicunt, itidem falſum eſt. Neque enim vlla ratione ita propria communicantur ſubiectis realiter diuerſis. Ariſtotelis locus, quem ex 3. lib. De part. animal. cap. 2. & 3. allegant, aut nunquam fuit ab ipſis intellectus, aut malitioſè deprauatus. Patet. n. ex contextu dupliciter σωδάσιν à Philoſopho ſumi: ita quidem, vt primò per σνδάσιν dicatur attribui, quod tribuitur κατ' ἄλλο. Idem ergo eſt Ariſtoteli ibi ſubiectum σωδαζόμενον, quod loco ante explicato, libr. 5. Top. fuit ὑποκείμενον κατ' ἄλλο: & quod Logici alij vocant *ſubiectum denominationis*: ſumitur illic præcipuè σνδάσις pro eductione potentialis accidentis in actum, per applicationem alicuius egentis, ſeu efficientis cauſæ: ſic cap. 3. diſertè inquit Philoſophus ſanguinem eſſe calidum κατ' σωδάσιν, non ita vt calor fluat ab eius eſſentia, ſed vt in eo producatur, applicato ad ſanguinem aliquo agente & calefaciente naturali. Idem ſentit de aqua, quæ calefit per σωδάσιν ignis.

Sic zinziber actu non calefacit extra actum, ſed ſimul ac in ventriculum coniectum eſt, valde calefacit per applicationem caloris naturalis in ventriculo, per quam potentia calefaciendi in zinzibere producitur in actum. Idem patet in vino & alijs. Notiſſima eſt apud Medicos diſtinctio inter calidã actu & potentiã. Potentiã calidum illi vinum vocant, quia extra corpus dum manu attingitur, aut dum manus in id intingitur,

non tam calor sentitur, quam frigus: ac cum in ventriculum assumitur, & ad venas defertur, potenter calefacit per istam quasi cum visceribus Συνδύασιν. Nihil ergo hæc faciunt ad communicationem propriorum in persona Christi, vbi quidem nec Σύγχυσις est creaturarum, qualis est aquæ & mellis in hydromelite: nec est Συνδύασις ab Aristote explicata, sed ἕνωσις ὑποστάσεων, quæ est naturarum in Christo: vna enim natura non est alterius pars, ita vt quod accidens in abstracto de vna verè dicitur, possit κατ' ἄλλο dici in abstracto de altera: Siquidem nec humana natura pars est diuinæ, nec diuina humanæ: sed vtraq; natura est pars personæ, ita vt per Συνδύασιν primæ significationis, rectè quod est vnius naturæ proprium, possit in concreto dici de tota persona: quia vtraq; natura est, & ipsa totius personæ: Itaq; hæc Συνδύασις, vt & distinctio subiectiuè, πρωτὸν, καὶ κατ' ἄλλο rectè hic locum inuenit, vt secunda distinctio etiam docet. Posterior etiam distinctio Συνδυάσεως inter naturas abstractè inter sese spectatas non potest fingi: quia in tali Συνδυάσει altera nunquam est pars alterius, aut etiam nunquam duæ sunt partes vnius, vt ex omniũ inductione exemplorum patet. Post requiritur, vt id, in quo per Συνδύασιν aliquid debet produci potentia seu dispositione proxima sit dispositum ad effectum seu accidens recipiendum: Iam aut humana natura non habet dispositionem aut potentiam ad recipiendas proprietates infinitas, qualis est vbiquitas & aliæ: Sicut nec diuina habet potentiam ad recipiendas potentias finitas; ita, vt hæc Συνδύασις tantum valeat in corporibus naturalibus rectè dispositis & agentibus in se mutuò per qualitates Elemẽtares: quod de naturis in Christo dici nequit. Hactenus distinctiones aduersariorum examinauimus, quæ veluti quædam palmaria sunt eorum principia. Nunc argumenta quoque videamus.

Ἀνασκευὴ seu λύσις obiectionum & argumentorum aduersarij.

I. *Actus forma communicatur materiæ: Actus*

Actus eſt proprium formæ ſeu animæ: E. quoddam proprium communicatur.

Reſp. craſſa profectò eſt hæc philoſophia: falſa eſt maior, quod actũ ſuum forma materiæ communicat: ſic enim materia fieret forma, ſi actus formæ ei communicaretur: ſed nec communicare actum ſuum forma poteſt; quia is ſimplex & indiuiſus eſt.

Falſum etiam id quòd actus ſit proprium accidens animæ: Eſt enim actus genus animæ, vt patet ex definitione, vbi anima dicitur ἐντελέχεια, ſeu actus: ſubiectum autem nunquam eſt ſuum proprium, vnde Ariſtoteles tam potentiam quam actum diſtinguit in ſubſtantialem & accidentalem, 8. Metaph & 2. De anima, t. 8. diſertè probat animam non eſſe actum accidentalem, ſed ſubſtantialem, & addit eſſe actum non materiæ, ſed totius corporis viuentis, vnde & 1. Phyſ. 1. 3. & 4 probat formam ſemper manere principium actiuum, & materiam ſemper principium paſſiuum. Quod ſi ergo ſecundum horum hominum Philoſophiam actus formæ cõmunicaretur materiæ iam materia non amplius eſſet principium paſſiuum, ſed eſſent duo actualia principia, quod eſt abſurdiſſimum.

OBIECTIO II. *Forma eſſentialis eſt communicabilis: E. multo magis propria erunt communicabilia.*

Reſpondeo ad antecedens, eſſe σόφισμα ἀπὸ τὸ ἐπόμενον. Primò enim homonymia eſt in voce, *cõmunicabilis*, quæ poteſt intelligi vel de μετέξει, vel de κοινωνίᾳ: Si intelligitur de μετέξει, nulla erit ratio conſequentiæ à μετέξει ad κοινωνίαν, quę ſunt genere diuerſa: ſi intelligitur de κοινωνίᾳ, falſiſſimum erit antecedens: nam nulla forma eſſentialis κατὰ κοινωνίαν communicatur, etſi forma vniuerſalis κατὰ μέτεξιν cõmunicetur indiuiduis, aut etiã forma generis ſpeciebus. Secundò aſſumuntur falſa paria pro veris: non ſunt enim paria, forma eſſentialis & accidentia propria: Cum alterum ſit ſubſtantia, alterum accidens: & cum forma eſſentialis hic conſideretur, vt καθόλου, quod ſuis particularib. cõmunicatur: propium autẽ non conſideretur hic vt καθόλου, ſed

vt coordinatum ſubiectum, non vt καθόλου in multis, ſed vt καθόλου tertij gradus neceſſitatis.

OBIECTIO III. *Vita, ſenſus, intellectio communicantur corpori: Vita, ſenſus, intellectio ſunt propria animæ: E. quædam animæ propria communicantur corpori.*

Reſp. multiplex hic committitur fallacia & ignorantia rerum phyſicarum, per quam fit vt vtraque præmiſſa falſa exiſtat: 1, enim falſum eſt, vitam illam qua viuit totum compoſitum, item ſenſum & intellectionem communicatam eſſe toti compoſito voce communicationis accepta ſicut in problemate accipitur, pro communi poſſeſſione: Ludunt ergo aduerſarij homonymiâ in maiore, vbi *communicatio* accipitur pro *affectione*, & ita concedimus corpori communicari vitam, ſenſum & cætera per animam tanquam cauſam efficientem, non vt per ſubiectum eiuſdem vitæ & ſenſus. Sicut Sol efficit calorem & communicat aliis, ſed non ſubiectiuè ipſe calidus: ita etiam anima vitam & ſenſum communicat compoſito, ipſa interim ipſius vitæ & ſenſus expers. Nam vita animæ propria, toto genere diſtat à vita quam ipſa operatur in toto compoſito: Totius.n. compoſiti vita conſiſtit in calido & humido temperatis: vita animæ propria eſt ſpiritualis, vt quæ omnis elementaris qualitatis eſt expers, ita impoſſibile eſt vitam eius in humido & calido conſiſtere. Idem de ſenſu eſt dicendum; anima enim non ſentit ſed ſentit totum compoſitum per animam, tanquam cauſam efficientem: id quod diſcere potuiſſent aduerſarij, ſi diſciplinam phyſicam penitius introſpexiſſent, & cogitaſſent diſcrimen magnum eſſe in ſcientijs inter principia & ὑποκείμενον. Anima nullorum accidentium phyſicorum ſubiectum eſt, ſed animal; contra animal nullorum principium eſt, ſed anima, vt ſæpiſſimè docet Ariſtot. & in primis l. 1. De anima, t. 64. vbi diſerte inquit, *Non eſt dicendum animam cogitare, diſcere, miſereri, ſed hominem anima vtentem.* De ſenſu verò ſunt loca diſertiſſima in li. de ſenſ. & ſenſil. c. 1. vbi ait, *Senſum eſſe totius animalis ex anima & corpore conſtantis*: & paulò poſt, *ſenſum* vocat *paſſionem*

nem totius animalis, animal, inquiens, *quâ animal est, sensum habet*: qua de re Zabarell. 1. de constit. scient. nat. c. 23. & 19. Atq; ita etiam patet esse falsissimam minorem illius Syllogismi, in qua ita triumphant aduersarij, quod vid. vita & sensus, sint propria animæ: sunt enim propria totius compositi: anima autem composita non est.

RATIO 4. *Vstio seu calor summus communicatur ferro: Vstio est proprium accidens ignis: E. proprium accidens communicatur.*

Resp. 1. negari potest minor, quod vstio sit proprium Ignis: nam & aqua feruens & vrtica vrit. Sed & maior falsa est; quod videlicet in ipso ferro, quâ ferrum est, insit aut lux illa, aut etiam summus calor ignis: ita enim se res habet, vt inter alios obseruauit acutissimus Scaliger, exerc. 12. s. 3. quod sicut spongia dicitur liquida, humida, propter aquam, quæ in eius poros se vndique insinuauit, prædicatione extrinseca & impropria, vt secunda pars Logicæ docuit: ita etiam ferrum candens dicitur lucere, vrere, extrinseca, & impropria prædicatione, cum tamen propriè luceat & vrat ignis iste tenuis, qui in omnes ferri poros sese insinuauit, & propter materiæ duritiem ejusmodi partium attenuatarum repercussionem, & ex repercussione concentrationem accepit, vt validius & penetrantius vrat, quam in materia molliori, vbi partes ignis ita cohiberi & repercutiendo vniri non possunt, sed per spacia diffusæ fiunt imbecilliores, secundum illud, *Virtus vnita fortior, diffusa languidior*: Itaque hoc exemplum ferri candentis, in quo itidem se solent iactare heterodoxi, nihil pro illis facit, imò potius contra illos rectissimè vsurpatur.

RATIO 5. *Calor ignis communicatur aquæ: Calor ignis est proprium Igni: E. quoddam proprium communicatur.*

Resp. ad maiorem: esse ambiguitatem in verbo *communicandi*, de qua sæpe dictum est: imo neganda planè est maior, si accipiatur communicatio eo sensu, quo in problemate accipitur: Nam calor ignis proprius

neutiquam aquæ eſt communis ; ſed calor in igne & in aqua tantum eſt analogus : itaque ſi loquendum philoſophicè, non calor ἀπλῶς eſt proprius ignis ; ſed calor primigenius & ſummus, id quod docet Ariſtoteles 1. Meteor. c. 2. l. 2. De cœlo, c. 7. Itemque 2. Metaph. 1. & 2. De part. anim. c. 2. quibus locis non tã θερμότητα quàm ὑπερβολὴν καὶ ὑπεροχὴν καὶ ζέσιν θερμότητος ignis proprium eſſe docet, de quo Zabar. 2. De qual. Elem. 1. & Scaliger exc. 14. *Ignis non eſt calidum ſimpliciter, ſed primo calidum* : Ideo Thomas alibi dicit, *Ignis eſt calidum infinitum, reliqua calida ſunt finita.* Quod autem non quius calor ſit igni proprius, ex eo patet, quia non ſuſcipit ignis cuiuſuis definitionem calidi, quod neceſſe erat fieri, cum omne proprium in ſubiecto definiatur.

RATIO 6. *Vis trahendi ferrum communicatur ſtylo ferreo à magnete : Atqui hæc eſt propria magnetis. E.*

Reſp. inficitione maioris falſum enim eſt in ferrum tranſire vim magneticam illam : manet n. ea in iſtis partibus tenuiorib. magnetis, quæ ex affricatione ferri ad magnetem adhæreſcunt ſtylo ferreo in partibus ſeu poris exterioribus : ibique latentes etiam acum ipſæ magnetis partes attrahunt : quod aût res ita ſe habeat : diſerte patet, quia ſtylus magneti affricatus non habet vim attrahendi, quam habet magnes cui affricatus eſt. Vnde intelligitur vim etiam magneticam è magnete in ferrũ non eſſe tranſlatam, ſed eſſe ibi debiliores quaſdã partes magnetis, quę debilius attrahant : Secundo liquidius patet, ſi iſtum ſtylum vel cote vel alia materia, vel vſu quotidiano teras, ſubito vim euaneſcere ; quod certe fieri nõ poſſet, ſi in ipſam ferri ſubſtantiam vis magnetica fuiſſet transfuſa : ea n. maneret, vt etiam reliqua accidentia : iam autem quia non manet, vt teſtatur ſenſus, facile poterat cogitari, latuiſſe ibi magnetis paruas particulas, quę poſtea tritu illius ferri vel ſtyli fuerint abſumtę.

RATIO 7. *Loquela communicatur piſtaco : Loquela eſt proprium hominis : E. Quoddam proprium communicatur.*

Reſp.

Resp. negatur maior, quod videlicet illa eiusdem definitionis loquela, quæ hominis propria est, psittaco & alijs communicetur: Hominis enim loquela est significatio conceptuum intellectiuorum, seu, vt loquitur Philosophus, libr. De interp. πάθημα τῆς ψυχῆς παθημάτων, articulato sono oris facta significatio; quod recte psittaco non potest tribui, nisi eidem humanam rationem tribuere velis. Itaque idem etiam psittaco non conuenit, nisi quadam homonymiâ, similitudine, & analogia: Etsi enim ibi est quandam vocis humanæ similitudo, quoad materiam seu articulationem soni: tamen ipsa forma sermonis abest, vid. σύστασις illa & relatio articulationis ad conceptus in mente rationali. Quod ad Deum & Angelos attinet, qui etiam sæpe loqui auditi sunt; Respondemus, posse loquelam hominis rationali mẽti tribui, sic tamen vt loquela spirituum genere differat, & definitione à loquela corporum seu hominis: sicut toto genere differunt conceptus Angelicus & humanus: ita etiã conceptuum signa in voce differũt. Etsi forte filius Dei & Angelus in V. Test. per corporea instrumenta locuti sunt: tamen sicut corpus verum & reale à corpore assumtitio & apparente toto genere differt, ita etiam sermones differre putandi sunt. Hæ sunt præcipuæ rationes aduersariorum, quarum solutiones si obseruentur facile quæ in contrariam partem afferuntur dilui possunt.

POSITIO THESEOS CONfirmata.

Manet ergo firmum, *Nulla omnino propria vnius speciei alteri realiter diuersæ communicari posse*, ὃ ἔδει δεῖξαι.

Collectio Προσυμάτων.

Primum πρόσλημα per subsumtionem. *Propria diuinitatis non communicantur in persona mediatoria Naturæ humanæ.*

Secundum per conuersionem. *Quicquid communicatur, non est proprium. Si ergo Natura humana communicatur vbiquitas: sequitur eam Deitatis proprium non esse.* Atque hoc est exemplum plenioris problematicæ tractationis.

CAPVT VIII.

De disputatione Sociali.

Tantum de disputatione solitaria seu tractatione problematis: sequitur disputatio socialis, in qua duæ sunt partes, vna Opponentis, altera Respondentis.

Etsi in solataria disputatione etiam obiectiones & responsiones locum habent, tamen partes aduersariæ non sunt personis ita distinctæ vt in disputatione sociali, vbi necessariò personæ duæ, sæpe etiam tres vel plures, vt in colloquijs Theologorum, adhibentur.

Canones harum partium nonnulli sunt communes vtrique parti, alij vero proprij singulis; Canones communes sunt 6. quorum quidam ex Ethica, quidam ex Logica promanant.

Duorum sunt generum virtutes, quæ disputationem regunt: Vnum genus est virtutum Ethicarum, vt est modestia, mansuetudo, studium pacis & concordiæ. Alterum genus est Logicarum virtutum, quæ volunt, vt non tantum modestè, sed etiam dextrè & eruditè disputetur. Nam aliàs etiam homines rudes & ineruditi possunt modestè colloqui, cum tamen non Logicè, sed ἀλόγως colloquantur, vt faciunt Anabaptistæ, qui in summa artium & linguarum imperitiâ præ se ferunt mansuetudinem.

I. Canon. *Ad disputationem afferatur bona animi intentio, quæ non gloriam sed veritatem quærat.*

Sicut in reliquis omnibus rebus finis mensurat & regit actiones; ita etiam bonæ disputationis principium summum ac directrix fidelissima est bona animi intentio, quæ nisi ab vtraque parte afferantur, necesse est omnem disputationem infeliciter cedere, & in meram ac vanam altercationem degenerare.

II. Sit etiam purus animus ab omnibus præiudicijs.

Præiudicium nil aliud eſt, quam impedimentum aſſenſus & iudicij legitimi, quo fit, vt animus veritati acquieſcere non poſſit. de quo inquit Philoſophus antiquus, ἡ δόξα βιάζεται τὴν τοῦ ἀληθοῦς : id eſt, *opinio & præiudicium vim infert veritati* : & Iul. Cæſar grauiter dixit, *haud facile animus prouidet verum, vbi affectus officiunt.*

III. Conueniant inter ſe diſputaturi, vter debeat opponere vel reſpondere.

Magnum enim hac in parte in hodiernis diſputationibus peccatum eſt, quod duo inter ſeſe de controuerſia aliqua colloquentes, temerè iſtas partes opponendi & reſpondendi miſceant, ita vt vnus modo opponat, modo reſpondeat ; cum tamen illa oporteat perpetuò eſſe diſtincta, ita vt per totum diſputationis decurſum vnus opponat ſemper, alter ſemper reſpondeat, niſi fortè ita inter ſe conueniant, vt, cum vnus aliquandiu oppoſuit, reſpondendi deinceps vices ſubeat.

IV. Aſtringat ſe vtraque pars ad Leges & canones Logicos.

Quia enim diſputatio non eſt actio naturalis, vt edere, bibere, currere, ſed artificialis : ideo etiam non regitur arbitrio noſtro, ſed certis præceptis & normis, quos ars præſcribit : ars autem diſputandi Logica eſt, ideo diſputationé Logicis regulis oportet conformari.

V. conueniant inter ſe opponens & reſpondens de certis præcognitis & principijs.

Præcognita ſeu principia diſputationis ſuprà diximus, eſſe definitiones & diſtinctiones, in quibus oportet vtrasq; partem conuenire: vbi non eſt principium, ibi nec eſt finis ſeu ſucceſſus vllus diſputationis.

VI. Breuitas ſeu perſpicuitas in opponendo & reſpondendo ſeruetur, vitatâ omni ambiguitate, & oratoriarum declamationum ambagibus.

Neque enim hic oportet commiſceri Rhetoricas

&

& Logicas actiones, cum disputatio tantum ad veritatem nudam & simplicem inuestigandam sit comparata: Rhetoricæ autem declamationes pertineant ad commouendos affectus, quos ante diximus procul abesse debere à disputatione, in qua intellectus & notitia debet dominari. Atque hi sunt canones communes, sequuntur speciales, qui partim sunt opponentis, partim respondentis.

Canones opponentis sunt sex:

I. Opponentis partes duæ sunt: Prima, Obiectionem monere, Altera, ad Solutionẽ datã instare.

Itaque opponentium partes neutiquam rectè obeunt illi, qui contenti sunt sola obiectionis propositione, & solutione data statim acquiescunt, nec instantiam vllam, per quam solutio illa vel labefactari, si mala sit, vel confirmari & illustrari possit, si obscura sit, in auditorij totius gratiam conantur afferre. Quapropter qui cum laude opponere volet, puerilem istam obijciendi formulam inprimis euitabit, quà dici solet post acceptã ad primum argumentũ solut. *A. quiesco, & pergo ad aliud.*

II. Quod ad mouendam quæstionem, diligenter perpendatur thesis contra quam velis opponere.

Thesis est mouendæ obiectionis principium, circa principia autem solicita debet esse nostra solicitatio & cura. Itaque subiectum & prædicatum θέσεως, eorumque dispositio secundum præcepta de propositione lib. 2. Systematis, tradita accuratè expendatur, & ambiguitas omnis ac limitatio, quæ fortè a præside & respondente afferri possit, dispiciatur: & deinceps tua conclusio, quam proposita obiectione inferre vis, conferatur cum ipsa θέσι, & consideretur vtrum ei secundum leges oppositionis directè aduersetur; quia sc. si pugna inter conclusionem obiectionis tuæ, & inter θέσιν aduersarij nulla sit, primam subibis disputationis ignominiam; dum nim. argumentum totum tibi concedetur, tanquam impertinens & peccans Elenchi ignorantia quod est quando putatur aliquid sibi inuicem contradictorium, quod tamen conciliari facilè potest.

III. Theſi ita accurate perpenſa, medij termini, pro ea quam inferre cupis concluſione, ex natura Subiecti & Predicati, & deinde etiam ex teſtimonio ſummorum autorum depromantur, habito interim argumentorum delectu.

Duo præcipiuntur in hoc canone. 1. qualiter ſint inueniendi medij termini pro formandis obiectionibus, quod duplici ratione obtinetur, 1. per loca inuentionis deducendo vtrumque concluſionis extremum, de qua re paulo ante monuimus. 2. afferendo autoritates eorum autorum qui ſine nota arrogantiæ non poſſunt reijci. ſin vero theſis publice in Eccleſia & Academijs cõtrouertitur & ſit ardua, tum non indulgendum eſt excogitationi nouorum argumentorum, ſed legendi ſunt aduerſarij celebriores, atque illorum argumenta pro diſputatione, reſectis verborum corticibus, breuiter proponenda & inſtanter vrgenda, modeſto quodam zelo, ita, vt ipſorum cauſam agere videaris. Exempli gratia. Si diſputetur, *an ſint tres perſonæ in vnica Dei eſſentia*, non eſt indulgendum nouorum argumentorum ſpeculationi, ſed è celebrioribus & acutioribus Antitrinitarijs argumenta depromenda ſunt, ea præſertim quæ noua videntur, eaque modeſta quadam ſeueritate vrgenda, dum tibi & auditorio ſatisfiat. Sic etiam, ſi diſputetur, *an ſola fide iuſtificemur*, Ieſuitæ, & inprimis Bellarminus adeundus eſt, & illius argumenta dextre proponenda, atque inſtanter vrgenda erunt, perinde ac ſi Pontificiorum cauſſam ageres. Talis enim zelus vehementer veritatem illuſtrat & confirmat; quod ij diligenter debebant cogitare, qui aduerſariorum argumenta etiam ſæpe non ſolide expenſa, riſu quodam ſolent eludere, atque ita occaſionem multis præbere, vt exiſtiment ſolidè illa refutari non poſſe. Alterum quod hoc canone præcipitur, eſt de argumentorum delectu & luſtratione. Neque enim omnia æquè grauia ſunt, aut vrgente oppoſitione digna. Circa autoritates vero id obſeruandum eſt, extra diſputationes theologicas, in quibus potiſſimum valent Scripturæ teſtimonia, non eſſe multis autoritatibus pugnandum, tum tẽporis compendij

compendij faciendi causa, tum etiam ad laudem ingenij assequendam: stupidi enim est & tardi ingenij in Philosophia autoribus nimium adhærere.

IV. Argumenta forma Syllogistica perspicuè & breuiter includantur.

Quæritur hoc loco an planè negligenda & repudianda sit vetus illa disputandi ratio per interrogationes, absque syllogistica forma propositas, quam videmus obseruatam esse à Socrate, Platone, & alijs vetustissimis Philosophis, quin etiam à patribus nonnullis in Ecclesia. Quin & ipse Saluator noster cum doctoribus populi Iudaici disputando congrediens, non expressa forma Syllogistica, sed interrogationibus est vsus, vt apparet Matthæi 22. & alijs locis. Respondendum est ad hanc quæstionem commoda quadam distinctione, Syllogismi nimirum impliciti & expressi: potest enim omnino oratio aliqua, siue per interrogationem, siue aliter informetur, habere discursum siue ratiocinationem bonam, etiamsi tribus distinctis propositionibus in Syllogisticam formam non concludatur, vt quidem manifestum est ex testibus sacræ Scripturæ, in quibus Syllogismus eiusmodi expressus nullibi formatur, etiamsi facilis ex ipso textu per resolutionem possit forma Syllogistica elici. Itaque omnis disputatio Syllogismis constare debet: sed non est necesse, vt disputatio inter homines ingeniosos, acutos, & exercitatos eiusmodi expressis Syllogisin s instituatur, nisi forte aduersarius in ipsam formam ratiocinationis continuato orationis cursu impingat, & decipiendi nostri causa id velit dissimulare: tum enim iubendus est formare Syllogismum, aut si nolit, à nobis est formandus. Cæterum hanc esse Aristotelis mentem diserte patet ex toto eius consilio, quod habet in octo libris Topicis: Ibi enim omnia dirigit ad hanc disputandi formam, quæ fit per interrogationes, Syllogismi expressam dispositionem non habẽtes, quocirca & *opponentem* vbique *interrogantem vocat*, & libro 8. Topic. capite 14. sect. 12. diserte inquit; *Syllogismis apertis vti, influm quidem esse, sed non decorum*, nimirum, quia ingenij

ingenij quandam tarditatem iſta Syllogiſtica crepundia, aut ſaltem exercitiorum defectum, propter quem mente Syllogiſmi non celeriter formari poſſunt, arguere videntur. Concludamus ergo ad diſputandi neceſſitatem abſolutam formas Syllogiſticas non requiri, ſed tamē adhibendas in Academicis diſputationum exercitijs eſſe ob tres cauſas. 1. propter imbecillitatem reſpondentis, qui non poteſt ita cito mēte perſpicere quid velit opponens, niſi ſyllogiſticē opponat. 2. propter breuitatem, quod opponens intra certos terminos coërceatur, & denique 3. propter auditores minus exercitatos, qui non ita poſſunt proſpicere ſcopum diſputationis, niſi expreſſas audiant Syllogiſmorum formas.

V. Duplici genere argumentationis opponens vtatur, directa ſiue oſtenſiua, & deinde ducente ad abſurdum, & hanc quidem ſæpe præferat priori.

Ita aſſuetos videmus noſtros opponentes, vt ſimplices Syllogiſmos ſiue oſtenſiuos perpetuo adducant, immemores interim plus omnino eſſe virium ad percellendum reſpondentem in Syllogiſmis ad abſurdum ducentibus, id quod oſtendimus tum ratione, tum exemplis pag. 451. Syſt.

VI. Si alterutra præmiſſarum in Syllogiſmo probatione indigeat manifeſta, non expectet opponens, dum maioris aut minoris probatio poſtuletur, ſed ipſe continuo facto proſyllogiſmo ſuam propoſitionem confirmet.

Habet enim ea res laudem promptitudinis, & reſpondenti minus addit fiduciæ, ſi videat nos eſſe paratos ad probandum, & in proſyllogiſmis formandis expeditos, vnde Ariſtot. 8. Phyſ. c. 1. *Non oportet*, inquit, *dicere tantum aliquid, ſed etiam cur dicas, addere.*

Tantum de officio opponentis primo informandis obiectionibus: alterum officium eſt in vrgendo, ſeu inſtando, cuius hi ſunt Canones.

I. Ac-

I. Accepta ad obiectionem responsione, opponens tacita cogitatione eam secum examinet, sitne ad formam, vel materiam.

II. Si forma argumenti repudietur, requiratur canon Logicus in quem peccet: & si agnoscat peccatum esse, non vrgeat amplius: quia puerile est velle defendere vitiosam Syllogismi formam.

III. Si ad materiam responsio, quod plerunque fit, detur, videndum est an sit distinctio vocis ambiguæ, an vero limitatio, an denique inficiatio: & si horum nullum sit, moneatur respondens, vt Logicè agat, & certa responsionis forma vtatur, qua sit accommodata ad alterutram præmissarum.

Semper habeat in promptu opponens species omnes & formas legitimæ ad materiam responsionis, de quibus actum est capite quarto tractatus postremi Syllogist. pag. 579.

IV. Si per distinctionem sit responsum, examinetur ea ad leges & canones bona distinctionis, pagina 220. Systematis traditos: idem etiam de limitione fiat: cuius Canones sunt pagina 349. Systematis.

V. Detur etiam opera, vt ex responsione data, possit confici Syllogismus ad absurdum ducens: ita nimirum, vt summa responsionis ponatur loco minoris, & alia quædam propositio manifestè vera loco maioris, ex quibus deinde conclusio absurda illata conuincat responsionem fuisse malam.

Et tantum de Opponente: sequitur Respondens: qui est vel inferior, vel superior, seu honorarius.

Respondens inferior est, qui absolutè ita dicitur, quique thesi ad disputandum proposuit.

Officium

Officium respondentis est, tum assumere argumentum, tum assumptum soluere. Assumtio argumenti habet duos Canones:

I. Diligenter circumspiciat respondens, vt argumentum assumat fideliter sine verborum ambagibus, atque ad eam rem etiam sibi quandam moram sumat.

Valde vitiosa est nonnullorum præcipitantia, qui opponentem interpellantes quadam temeritate, suas cogitationes in respondendo deproperant & confundunt, contra cauti & prudentes disputatores solent cum quadam tarditate & mora aduersarij argumenta assumere, quod & de ipso Christo Euangelistæ testantur, Matth. 22. 18. & Luc. 20. ver. 23. quæ tarditas ad id conducit, vt cogitationes expediri possint ad solidam aliquam & firmam solutionem.

II. Si non formetur argumentum ab opponente, iubeat formari: & si formare non possit, vel reyciatur obiectio, vel si forma argumenti plane desperata non sit, respondens ipse formet.

Accommodatus est hic canon ad eum disputandi morem, quem Academiæ seruant: alias enim in liberiori disputatione satis est, si respondens tacitis cogitationibus intelligat posse fieri bonam formam, etiamsi disserta trium propositionum distinctione non construatur.

Alterum munus respondentis est soluere, cuius officij hi sunt Canones.

I. Vbi de forma constiterit, prima cogitatio sit de conclusione, vtrum nimirum statum controuersia recte formarit opponens, & an thesin siue conclusionem suam nostræ thesi legitimè opposuerit.

Valde errant illi, qui existimant non esse respondendum ad conclusionem obiectionis, cum tamen constitutio status siue conclusionis controuersiæ sit primum disputandi principium, in quo si peccetur, inanis & puerilis

rilis est omnis labor, qui circa præmissas obiectiones susci-
pitur: atque huc etiam pertinet tam celebris apud Aristotelem *fallacia ignorationis Elenchi*, quia Elenchus Philosopho nihil est aliud, quam ἀντίθεσις thesi legitimè opposita; si ergo opponens vel aliam plane quæstionem concludat, vel in concludendo vnam ex quatuor illis legibus oppositionis, quas pag. 360. tradidimus, violet, tum ad conclusionem erit respondendum, concedendo nimirum eam, si plane aliena sit à nostris thesibus, aut in aliam disputationem reijciendo, aut denique ostendendo legem oppositionis, in quam sit peccatum.

II. A conclusione vel le constituta, animus statim referatur ad maiorem propositionem, & cogitetur, an vera sit, & an simpliciter vera sit, vel secundum quid tantum, an denique composita sit, habens vitiosam connexionem seu compositionem.

Maior propositio est illationis principium & generalis illa θέσις, ac mater sub qua minor velut filia continetur, vnde etiam fit, quod maiores propositiones rarius soleant adhiberi eiusmodi, quæ sint apertè & liquidissimè falsæ, sed plerunque habent vel vitiosam connexionem, vel egent limitatione.

III. Nunquam respondeatur negando aut inficiando, si solui argumentum possit distinguendo & limitando.

Diligentissimè notandus est hic canon, & in vsu tantò magis vrgendus, quanto licentiosius in eum peccant imperiti disputatores, qui (vt est omnis ignorantia audax) solent præfractè ac contumaciter inter respondendum negare, vel vtramque præmissam, vel certè alterutram: id quod est planè contra legitimum & naturalem ordinem; qui requirit, vt leniora remedia prius tententur; quàm aspera & acerba applicentur. Est autem durissima responsio per *Negationem*, contra mitis & lenis per *distinctionē & limitationē*: quia Negatio destruit & pessundat, quod est hostile: Limitatio autem & distinctio conciliat, quod est amicorum & bonorum virorum proprium: Quin & maior ineſt eruditio in limitando

do & distingnendo, quàm negando; siquidem furiosi & stulti milites plura possunt negare, quam sapientes omnes affirmare. Deniq; etiam tutius est & securius respõdere distinguendo & limitando, quàm inficiando; quia negatione datâ, si paulò ingeniosior & promptior sit opponens, conuertet sese ad probandum, & ita habebit instandi & vrgendi disputationem protrahendi occasionem: cum contra probandi & vrgendi ansa magis ipsi præcidatur, si distinguendo aut limitando respondeatur, atque ei aliquid concedatur, quod tamen nostram causam non euertat. Atq; hoc etiam præceptum innuit Aristot. lib. 2. Soph. Elench. cap. 4.

IIII. Minor propositio rarò venit limitanda aut distinguenda, sæpius neganda.

Minor propositio longius abest à principijs & plerunque continet ὑπόθεσιν aduersarij, itaque inficiationem requirit, cautè tamen adhibendam: neque enim prius ad minorem responderi debet, quam certum sit maiorem esse extra omne vitium, vel omissæ limitationis & distinctionis, vel vitiosæ consequentię.

V. Autoritates clarissimorum virorum respondens non reijciat temerè, sed 3. agat. 1, Curet sibi verba eorũ fideliter recitari. 2, Conciliet quantum potest, cum sua sententia. 3, Si cõciliari non possit, opponat autoritatẽ viri æque clari aut clarioris.

Circa autoritatem duo dominantur vitia, stoliditas & arrogantia. Stoliditas omnem autoritatem promiscuè admittit: est enim stultorum proprium cuiuis quiduis credere. Alterum vitium est arrogantia, quâ virorum, quos multi admirantur, autoritas vel imprudenter reijcitur, vel fastidiosè accipitur. Vnde Plato dixit, *nullum esse magis stultæ audaciæ argumentum, quàm viris magnis se opponere.*

VI. Directæ responsioni, quæ scilicet ita instituitur, vt modò diximus, addi interdum debet indirecta, vt est inprimis retorsio, quâ ostendimus argumentum aduersarij pro nobis facere.

Duplicem ſolutionem eſſe ſiue reſponſionem docetur pa.5.80.hoc loco id tantum notetur, nunquam eſſe indirectè reſpondendum, niſi prius ſit reſponſum directè.

Tantum de officijs inferioris Reſpondentis, qui abſolutè ita dici ſolet.

Officij honorarij reſpondentis ſeu præſidis duo ſunt: regere & ſuccurrere.

De rectione hic eſt canon: Diligenter præſes attendat, vtrum ad rem diſputet. & an in re permaneatur, id eſt, intra diſputationis terminos; quod ſi non fiat, moneat officij tum opponentem tum reſpondentem.

De auxilio, altero præſidis officio, hic eſt canon: Si reſpondens deficiat, ſolidiorem & firmiorem reſponſionem præſes afferat, ſine tamen pudore reſpondentis: Si verò reſpondens tolerabilem reſponſionem dederit, eam collaudet, & aliquanto vberius explicet in gratiam auditorij.

CAPVT IX.

De geneſi methodica.

HVc vſq; etiam geneſis fuit ſyllogiſtica: Reſtat tractatio ſeu geneſis methodi, quâ methodum & ordinem tractationi noſtræ conſtituimus.

Sicut duo ſunt inſtrumenta dominantia in tertia Logicæ parte, *Syllogiſmus* & *Methodus*: ita quoq; duplex Vſus eſt tertiæ partis, atq; adeo duplex geneſis, vna *Syllogiſtica*, de qua hactenus egimus, quæque vno nomine *Diſputatio* dicitur: altera eſt geneſis Methodi, quæ poteſt vocari *Ordinatio* aut *Diſpoſitio*.

Ordinatio igitur eſt vel Particularis, vel Vniverſalis.

Particularis

Particularis ordinatio eſt, quâ conſtituitur methodus quæſtionis ſiue thematis alicuius ſimplicis aut coniuncti.

Vt duplex eſt methodus docente Syſt. p.597. nim. Vniuerſalis & Particularis; ita etiam eſt duplex vſus methodi ſiue ordinatio.

Ordinatio particularis eſt hactenus ſatis oſtenſa in iis præceptis, quæ de tractando themate ſimplici & coniuncto communicauimus.

Sicut vna eſt ratio humana, etiamſi diuerſi ſint eius actus: ita etiam ars Logica vna eſt, ita vt præcepta eius inter ſe quidē diſtincta quoad Syſtematis proceſſum, in vſu vniantur & concurrant: ita nim. ſimplex quæſtio tractari non potuit ſine methodo, etiāſi methodus non ad ſimplicium apprehenſionem, ſed ad diſcurſum pertineat: neq; etiam cōiuncta præceptis Syllogiſmi ſolius potuit expediri, quin methodus ſuum ibidem vſum oſtenderet: Itaque hoc loco nihil amplius de particulari ordinatione reſtat tractandum, cum in præcedentibus methodi particularis vſus manifeſtè fuerit monſtratus.

Ordinatio vniuerſalis eſt, qua integra diſciplina ſiue Syſtema alicuius artis vel ſcientiæ diſponitur.

Primum bene docendi & diſcendi principium omnibus ſimpliciter diſciplinis eſt methodus ſiue ordo; quia cum ad diſcendum duo requirantur inprimis, iudicium & memoria: neutrum certè obtinere poſſumus, niſi res in diſciplinis ita ad inuicem vniamus: vt conſequentia ab antecedentibus rectè dependeant & inter ſeſe cohæreant: res enim ipſę ſunt tantum materia, materia autem per ſe eſt quiddam confuſum, ingratum, imperfectum, niſi forma accedat; forma autem diſciplinarum eſt methodus; vnde & Plato *ordinem rerum animam* eſſe dixit; quaſi diceret res eſſe chaos & cadauer quoddā, niſi ordo accedat: itaq; etſi multū profuerint generi humano, qui multarū rerū copiam in diſciplinis

pararunt, tamen longè plus prosunt, qui rationem ac viam ostendunt, quâ res istæ in ordinem intellectui & memoriæ humanæ conuenientem redigi possint & debeant.

Canones vniuersalis ordinationis sunt hi:

1. Disciplinam aliquam ordinaturus, inprimis cogitet, qualis ea sit, an vim contemplatrix, an verò operatrix.

Principium methodi & ordinis petitur ab ipsa constitutione rerum, & deinde à modo nostro cognoscendi, sed à constitutione rerum primariò & principaliter, de qua re egimus in Syst. pa. 593. vbi etiam controuersiam tractauimus inter duos summos methodi doctores *Zabarellam* & *Piccolomineum*, vt ibi videri potest: hoc loco notandum est Arist. dictum 2. Metaph. c. 4. *Vt se res habent in esse, ita etiam in cognosci*, 1. quo ordine res sunt, eo ordine discuntur: Cum ergo extra mentem hominis & extra artem Logicam reuera sit aliquis ordo rerum naturalis, ideo oportet artem imitari & sequi naturam, vt Aristot. item monet l. 2. Physic. 1. & 3.

Est autem duplex o do naturalis in rebus extra mentem. vnus ordo vocatur constitutionis & generationis: alter dicitur ordo operationis seu effectionis: nimirum & duplices sunt res: quædam sunt necessariæ, id est, tales, quæ nulla arte aut prudentia humanâ effici possunt, sed à Deo tantum & naturâ producuntur, vt est cœlum, terra, & id genus aliæ res in mundo, quæ planè non pendent à voluntate, arbitrio & industria hominis. Atq; hanc distinct. diuersis verbis explicat Arist. l. 6. Eth. c. 3. vbi de habitib. intellectus tractans, alios occupari circa res necessarias, i. tales, quas Deus & natura tantum potest producere: alios verò circa res contingentes, quas homo etiam efficere valet. Vnde iam necessariò consequitur, duplicem etiam esse rerum ordinem, vnũ nimirum ciusmodi, quem natura seruat in rebus constituendis, quæ scilicet à primis principijs progreditur ad principiata, siue ipsum compositum: alterum verò esse, quo

quo ratio noſtra progreditur in operã lo ſeu efficiendo eo, quod per artem & induſtriam poteſt, vt nimirũ primò conſtituat ſibi ſcopum ſeu finem certum, quem velit operando producere, poſtea conquirat media, per quæ iſtum finem poſſit aſſequi.

II. Res neceſſariæ quæ ab homine produci nequeunt, traduntur in diſciplinis contemplatricibus, quarum methodus dicitur Synthetica.

Quicquid eſt in mundo, id homo aut tantum cognoſcit, aut & cognoſcit & operando producere poteſt: Quæ tantum cognoſcit homo, ea traduntur in diſciplinis cõtemplatricibus, quas vno nomine *ſcientias* appellant κατ' ἐξοχὴν, nimirum, ita dictas, quia res in ijs traditæ ſolummodo ſciri ab homine, & non produci queunt, vt cœlum, terra. Sunt autem tres eiuſmodi ſcientiæ, *Metaphyſica*, *Phyſica* & *Mathematica*, quibus omnia iſta traduntur, quæ tantum ſciri ab homine queunt. Atque harum diſciplinarum methodus vocatur *Synthetica*, ſiue *conſtituiua*; quia ſequitur ordinem naturæ, quem ipſa ſeruat in rebus conſtituendis ſeu generandis, à ſimplicibus progrediendo ad compoſita.

III. Diſpoſiturus ergo contemplatricem diſciplinam ita procedat. 1, vt ſubiectum quoad nomen præcognoſcat. 2, principia ſubiecti tradat, & denique tertiò iſtius Subiecti proprietates à principijs ſiue cauſis fluentes perſequatur.

Immortales gratijs debemus Ariſtoteli, qui tam planam viam nobis oſtendit in latiſſimo illo ſcientiarum campo, vt iam quicquid in aliqua ſcientia docetur, id omne ad tria tantum poſſimus reuocare, nec quicquam amplius nobis cogitandum reſtet. Sic in Phyſica latiſſima illa ſcientia animus tantum debet referri ad tria iſta, per quæ ſcientiæ iſtius methodus conſtituitur: primum eſt ſubiectum ſcientiæ, nim. corpus naturale ſumtum collectiuè, quod dicitur mundus, & ſumtum κατὰ ὅλα, i. tanquam generale, non collectiuum. Hic iam primus Phyſicę liber erit de mundo: in quo

præter ſubiectum conſidero principia, i. efficientem & finem mundi: Secundo, mundi affectiones ſeu proprietates; quibus explicatis, tota methodus libri primi eſt confecta; cuius rei exemplum in *Phyſicæ* noſtro *Syſt.* dedimus. In ſecundo lib. etiam 1. exponitur Subiectum, non amplius collectiuè ſed genericè ſumtum: ipſe nim. corpus naturale, prout de ſuis ſpeciebus prædicari poteſt: huius Subiecti principia primaria quidem & per ſe, materia & forma, ſecundarium & per accidens priuatio, explicantur. Poſthæc corporis proprietates ab his principijs manantes deducuntur: Quantitas, Locus, Tempus, Motus, & ita etiam ſecundus liber abſoluitur; quib. duobus libris pars Phyſicæ generalis continetur. Reliqui autem libri huius ſcientiæ partem complectuntur ſpecialem, ita nim. vt generale ſubiectum illud corpus naturale ordine diuidant in ſpecies, à primis procedendo ad ſecundas, quæ ſpecies corporis ſemper ſunt ſubiecta, in quibus conſiderantur & ſpeciales affectiones per ſpeciales ſuas cauſas, ſicuti in tabula Subſtantiæ plene eſt adumbratum in noſtro Syſtemate. Specieb. ergo corporis naturalis vſq. ad ſpeciem infimam deductis, totum ſcientiæ huius Syſtema abſoluetur.

IV. Diſciplinæ operatrices tractantur. 1, *fine.* 2, *ſubiecto, in quod finis eſt introducendus, & denig.* 3, *mediis, per quæ iſte finis obtinetur.*

Eſſe aliquod rerum genus quod humana induſtria produci poſſit, paulo ante oſtendimus. Et vero ſatis conſtat ad omnem productionem id requiri, vt finis animo adumbretur, ſicut architectus domum conſtructurus de habitatione cõmoda, deque ædificio ad eam accommodando cogitat. Et medicus remedia præſcripturus & ægro manum admoturus, ſanitatem meditatur: vnde recte dictum eſt à Scholaſticis: *Intellectus operatiuus incipit a fine.* Atque hanc methodum, quę a pręcognito fine progreditur ad tractanda media, vocant Philoſophi *methodũ ἀναλυτικὴν*, quia nim. à fine progrediens reſoluit eum in extrema ſiue media, per quę finem obtinemus, non ſecus ac Penelope telã antetextã in ſua fila iterũ retexit. Habet n. ſe finis ad ſua media, velut aliquod

aliquod perfectum ad totum, & totum ad ſuas partes. Quia autem omnis finis acquiritur alicui, qui dicitur finis cui, ideo oportet in methodo diſciplinarum operatricium etiam obiectum ſiue ſubiectum à quo finis recipi debet, præcognoſci. De qua re agitur p. 603. Syſt. Iam porro ſi quis interpellet de plurib. methodis, reſponſum ei eſt p. 601. Porro diſciplinæ operatrices, quę hac methodo diſponuntur, ſunt hę, Grammatica, Rhetorica, Logica, Ethica, ad quam pertinet Oeconomica & Politica, itemque tres, quæ vocentur facultates ſuperiores, *Theologia, Iuriſprudentia & Medicina.* Atq; vt vnum & alterum exemplum in Philoſophia ſubijciamus, conſideranda eſt diſpoſitio Logicę, in qua ab initio ſtatim fit mentio finis, ni. *directio humanarum cogitationum in rebus cognoſcendis.* Deinde ſubiectum etiam breuiter delibatur, tres *nim. functiones humanæ mentis:* & denique quod reliquum eſt in arte, totum inſumitur in tractandis inſtrumentis ſiue medijs, per quę iſte finis poſſit obtineri ab homine: atque hæc media tribus partibus Logicę docentur. Sic in Ethica eandem methodum Ariſtoteles obſeruauit, quia ab initio ſtatim libri primi egit de fine Ethicæ, vid. felicitate. 2, Sub finem lib. 1. de felicitatis ſubiecto, nim. voluntate & appetitu humano: reliquis deinde libr. declarat media, per quæ finis iſte poſſit obtineri: quæ media ſunt vel virtus moralis & intellectualis, vel virtutum vnio ſiue amicitia. Quia vero totius iſtius noſtri inſtituti ſcopus & finis primarius Theologiam ſpectat, ideo omiſſis reliquis diſciplinis, huius method. & ordin. adumbremus, in qua quidem re tanquam ardua & grauiſſima, ita tenuitatem meam agnoſco, vt aliorum ordinibus, quibus hactenus vſi ſunt, ne leuiſſima quidem parte cupiam præiudicari: Vt enim multæ ad vnam metam viæ, licet diuerſæ ducere poſſunt, ita etiam ad Theologię ſtudium recte capeſſendum varia locorum Theologicorum diſpoſitio à varijs Theologis obſeruata poterit nobis ſuo quodam reſpectu, conducere: Sed interim vt præ reliquis omnibus vijs, quibus in vnum locũ tenditur, vna tantum eſt, quę reliquis ſit & compendioſior & tutior: ita ex varijs iſtis Theologiæ methodis, quas diuerſi Theologi ſequuntur, vni-

cam tantum existimo esse, quæ ad artis Logicæ præcepta congruens compendiosissima & rectissima dici queat. Eam me tenere non dico, sed id tantum laboro, vt studiosè inquiram. Ad inquirendam autem directam & dexteram eiusmodi Theologiæ methodum, summa hæc hypothesis nobis constituenda est, *Theologiam esse disciplinam non contemplatricem, sed operatricem.* ita enim Paulus prioris Timoth. 1. vers. 5. *Finis mandati est charitas ex puro corde, conscientia bona & fide non ficta,* & Iacob. c. 1. v. 22. iubet, *Ne simus auditores tantum sermonis, sed & operatores* · quasi diceret, finem Theologiæ nostræ non esse speculationem, vt in Mathematicis & Physicis, sed esse operationem siue πρᾶξιν.

Altera hypothesis dispositionis nostræ est definitio Theologiæ: Definiuimus autem quod *Theologia sit prudentia religiosa ex reuelatione diuina, perueniendi ad salutem.* Quæ definitio suis membris est declaranda. Genus ergo pono, *prudentiam*; quia sc. omnis disciplina operatrix aut ars est, aut prudentia.

Artem autem non esse Theologicam, ex eo constat, quia Theologicæ actiones, vt sunt opera fidei & charitatis, itemque Inuocatio Dei, includunt προαίρεσιν voluntatis, atque rectitudinem appetitus, & affectuum humanorum, atque adeo sunt virtutes moralibus persimiles: Iam autem operatio, quæ ex arte promanat, non est virtus moralis nec ei similis, vt cum faber producit clauem, aut Logicus Syllogismum facit, nemo dicit esse actionem virtutis moralis; Vnde Aristot. l. 6. Eth. c. 4. & 5. diligenter distinguit inter ποίησιν & πρᾶξιν: & ποίησιν dicit esse actionem seu operationem pertinentem ad industriam artificis, quæ per se voluntatis & appetitus rectitudinem non includit, cum quis simul esse possit vir pessimus, & sutor optimus: πρᾶξις autem voluntatem & affectus spectat, promanans ex virtutibus & vitijs morum. Vnde concludimus Theologiam *artem* propriè dici nõ posse; quia Theologi operatio perpetuam voluntatis & affectuum sanctificationem, quæ est imaginis diuinæ magna pars, in se comprehendit: fauet autem huic nostro generi & D. Paulus 1. Cor. c. 10.

10. v. 15. Vbi tradens doctrinam ſummè Theologicam de Cœna Domini, dicit ſe Corinthijs loqui ὡς φρονίμοις, *tanquam prudentibus*; quaſi diceret doctrinam hanc eſſe partem τῆ φρονήσεως πνευματικῆς, i. prudentiæ ſpiritualis, quæ eſt ipſa Theologia: nec dubito Chriſtum, cum nos iubet eſſe prudentes, id innuiſſe, Theologiam eſſe verè & proprie dictam φρόνησιν. Addimus autem eſſe *prudentiam religioſam*, vt diſcernamus Theologiam ab Ethica & ab eius ſpeciali virtute, de qua tractat Philoſophus 6. Eth. c. 5. 6. Nam Ethica illa prudentia præcipue ad diſciplinam externam pertinet, vt ſciamus, quę leges quibus legib. ſint præferendæ, item quo tempore, quo loco, quibus perſonis quælibet actio virtutis moralis ſit exercenda: religioſa autem prudentia internam præcipue diſciplinam ſpectat, & includit altius aliquod virtutis principium, ſupernaturalem videlicet illuminationem intellectus, & voluntatis atque affectuum ſanctificationem, id eſt, ipſam imaginem Dei, cuius recuperatio eſt ſalus & finis Theologiæ noſtræ. Finis in definitione additur, nimirum *ſalus hominis*, quæ conſiſtit in vnione cum Deo: vnio autem Dei eſt imago Dei. Itaque ſic etiam Theologia definiri poſſit, quod ſit *prudentia religioſa recuperandæ imaginem Dei amiſſam*. Porro ſalus iſta, cuius in definitione mentio fit, eſt vel inchoata vel perfecta.

Inchoata eſt, quam in hac vita poſſumus acquirere, quæ a Catecheſi noſtra vocatur *Conſolatio*: quæ nihil eſt aliud, quam lætitia Electorum cordib. per S. S. accenſa, ex ſenſu acceptę remiſſionis peccatorum propter meritum filij Dei, & inchoatæ in nobis vitæ æternæ ſiue perfectæ ſanctificationis & glorificationis. Et de hoc fine principaliter fuerit ab initio ſtatim Theologiæ prægnoſcendum: quia ſc. hunc poſſidemus in hac vita: Alter finis ſponte & vltro ſequitur.

Expreſſimus etiam in definit. cauſam efficientẽ habit. theol. vid. *revelationem Dei*, quę dupliciter intelligend. eſt: 1, pro verbo diuinitus reuelato, proque viſionib. quas Deus ſummis iſtis Theologis & Patriarchis exhibuit, & inprimis pro iſta docendi via, quam per filium ſuum Deus tenuit in N.T. quę perſpicua magis eſt & diſerta:

vt

vt dicitur Epiſtola ad Heb. c. 1. *Deum locutum eſſe multis modis olim patribus, ſed vltimis diebus per Filium, qui ſenſa Patris rectius nouerit, & clarius aperuit.* Secundo per reuelationem intelligimus ſpecialem vim & operationem S. S. in cordib. ſingulorum Electorum, qua habitus Theologię ſeu prudentia religioſa in iiſdem efficitur, de qua peculiari S. S. actione teſtatur Ioel. c. 2. Effundam de Spiritu meo, &c.

Iam nobis hic duplex quæſtio ſuboritur:

I. An etiam reprobi habitum Theologiæ poſſidere queant.

II. An Theologia differat a fide.

Ad priorem quæſtionem reſp. diſcernendum eſſe inter præcepta & habitum ex præceptis acquiſitum: poſſunt vere præcepta Theologiæ callere reprobi, ſed habitum interim ſoli electi poſſident; quia inter præcepta & habitum duæ adhuc cauſæ efficientes intercedunt, exercitatio & peculiaris operatio Spiritus ſancti, quæ in nullos reprobos & hypocritas cadunt, ſed in electos ſolos. De altera quæſtione ita ſentio, Theologiam a fide ſaluifica differre, vt totum a parte, & idcirco multos poſſe eſſe fideles, qui tamen Theologi eminenter dici nequeant. Fides enim eſt ſpecialis quædam virtus, de qua diſciplina Theologica docet: Theologia autem eſt omnium virtutum Theologicarum collectio, & quidē collectio non confuſa aut popularis, ſed methodica & artificialis: cum ergo ruſtici multi fidem ſaluificam & alias virtutes Theologicas poſſideant, ſed non poſſideant methodica & artificiali συντάξει, poterunt quidem dici Theologi generaliter, non autem proprie & ſpecialiter. Exemplum quo hæc diſtinctio Theologiæ & fidei intelligi poſſit, capiatur ex Ethica, quæ ita a ſingulis virtutibus in Ethica traditis differt, vt ſit *artificioſa quædam & methodica omnium virtutum compages.*

Iam tertia accedat Hypotheſis: Cum Theologia ſit diſciplina operatrix eiuſmodi, qualem definiendo explicauimus, non eſſe alia methodo tradendam quàm analytica: atque hoc etiam diſertè *Catecheſis* noſtra, editionis

editionis penult. pag.36,docet,nimirum,non posse alio ordine quam analytico tradi Theologiam, cum sit disciplina practica: itaque à fine esse incipiendum, & postea principia seu media finis ordine explicanda. Et videtur omnino maxima esse similitudo inter Medicinam & Theologiam: quia vt Medico proposita est sanitas corporis & morborum cura, ita Theologo proposita est animæ salus, & liberatio à miseria in quam per lapsum incidit. Itaque vt Medicina incipit à sanitate tanquam primo præcognito: ita Theologia incipere debet à salute, tanquam primo suo scopo ac fine: deinde vt Medicinæ partes duæ sunt, vna de morbis eorumque causis, altera de remedijs morborum: ita quoque duæ partes Theologiæ commodissimè constituuntur: vna de miseria hominis, eiusq; causa; altera de miseriæ huius liberatione; sub quibus duobus membris generalibus, tanta illa Theologicorum locorum varietas & copia continetur: quod vt animo possit rectius intelligi, atq; adumbrari, methodū totius Theologiæ sequēti tabula & Synopsi in studiosorū gratiam sumus cōplexi. Sed ad hanc tabulam & synopsin solidius intelligendam, aliquot nobis quæstiones explicandæ & soluendę erunt, vt Theologiæ natura studiosis clara atque manifesta reddatur.

Prima quæstio est, *Vtrum per se, ac principaliter Theologia tractet de Deo.*

Resp. Deum esse nobilissimum Ens, & idcirco solius contemplationis, non autem operationis subiectum, vt Aristot. lib. 4. & 12. Metaph. prolixè docet. Cum ergo Theologia non sit contemplatrix disciplina, sed operatrix, idcirco de Deo absolutè & contemplatiuè non tractat, sed tantum Deum considerat, vt principium operationis siue salutis & pœnarum: ideo præcognita Systematis Theologici doctrinam de Deo, quantum ad operationem Theologicam sufficit, continet, sicut in tabula apparet. Si quis autem quærat, vbi ergo de Deo absolutè & contemplatiuè tractetur. Resp. in Metaphysica: Hæc enim est scientia Entis, qua Ens: & idcirco etiam primi Entis seu primæ substantiæ, id est Dei: Vnde fit quod Clarissimus ille *Zanchius* in libro, quem *De natura Dei* scripsit, plura habet Metaphysica, quam Theolo-

Theologica. Si quis obijciat Theologiam à Deo nomen habere, itaque absurdum videri, quod dicitur doctrinam de Deo ad Theologiam absolutè non pertinere. Resp. nomen Θεολογίας ab Ethnicis esse sumtum, & in sacris Literis non extare: Ethnici autem nullam aliam sanctiorem & altiorem doctrinam habebant quam Metaphysicam, cui à primario & dignissimo subiecto nomen τῆ Θεολογίας imposuerunt, quod deinde retentum est, & applicatum ad illam nostram religionem Christianam prudentiam: tum quia ea Deum autorem habet: tum quia sacræ Literæ doctrinam de Deo claram & perfectam tradiderunt, tum denique quia disciplinæ Theologicæ primum & summum præcognitum est de Deo.

Altera quæstio est. *Cum doctrina de Deo, deque Dei verbo in Systemate Theologico præcognoscatur, quomodo id ad methodum analyticam congruat, vtpote cuius duo tantum sunt præcognita, finis, & subiectum.*

Respon. Variare Theologiam in præcognitis, à reliquis disciplinis practicis: propter duas causas: primo, quia media huius disciplinæ non ita posita sunt in arbitrio & industria hominis, vt reliquarum practicarum disciplinarum media, ad quæ speciali aliqua Dei siue sancti Spiritus illuminatione & gratia non est opus; cum contra operationes Theologicæ à gratia Dei, tanquam propinquo principio pendeant, quo nimirum in nobis perficitur & velle & posse: Huc accedit, quod Deus etiam pertineat ad finem Theologiæ, qui est salus; salus autem nihil est aliud, quam fruitio summi boni: summum bonum autem est Deus. Itaque necessario de Deo præcognoscendum est, antequam ad media Θεολογίας accedatur, præsertim cum alia etiam Theologiæ sit ratio in colligendis præceptis & conclusionibus, quàm aliarum omnium disciplinarum, quæ extruuntur è principijs natura notis, itemque sensu & experientia: Cum contra Theologia pro principio, è quo eius conclusiones & præcepta manant, habeat testimonium seu verbum Dei, quod est mensura seu regula, quam oportet necessario præcognoscere, antequam ad partes Theologiæ deueniatur.

Tertia

Tertia quæſtio eſt; *An Sacræ Literæ, earumque commentarij & explicationes ſint pars ſtudij & Syſtematis Theologici.*

Reſp. Iam ante dictum eſſe, generalem doctrinam de Dei verbo ad præcognita Syſtematis Theologici pertinere. Explicatio autem ſingulorum locorum S. Scripturæ ad Syſtema Theologiæ non poteſt referri, ſed eſt velut prima quædam τελετὴ, continens Syſtematis huius principia. Quapropter Theologi ſolent diſcernere inter ſacræ Scripturæ interpretem, & inter locorum communium doctorem.

Quæritur porro: *An quicquid in S. Literis docetur, & quæcunque res ibidem nominantur, ſint propriè ſtatim & homogeneæ Syſtematis Theologici.*

Reſp. breuiter & rotunde, non omnia quæ in ſacris Literis nominantur vel explicantur, ad Theologiam ſtatim pertinere, ſed eſſe libros veteris & noui Teſtamenti generale quoddam promtuarium, è quo omnia omnium diſciplinarum præcepta, quæ ab Ethnicis Philoſophis tradita ſunt, poſſunt & debẽt aut corrigi, ſi ſint falſa, aut compleri, ſi deficiant. Sunt ergo multa in ſacris Literis quæ ad Metaphyſicam pertinent, vt doctrina de natura Dei, deque Eſſentia Angelorum, qui in Syſtemate Theologico conſiderantur non abſolutè, ſed quatenus ſunt vel electorum hominum adminiſtri, vel executores pœnarum diuinarum, quæ vero ſit Angelorum eſſentia, quæ eſſentiales proprietates, itemque quid Diabolus poſſit in effectis naturalibus producendis, concitandis ventis & pluuijs, item quantum valeat in ſtrigib. & veneficijs, id non conſiderat Syſtema Theologiæ, ſed ea pars Metaphyſicę, quæ quia de ſpiritibus, ſiue formis ſeparatis, vt Philoſophi vocant, tractat, dici poteſt πνευματολογικὴ. Sic etiam multa ſunt in ſacris Literis, quæ plane ad Phyſicam pertinent, vt eſt doctrina de creatione cæli, terræ, & aliarum mundi partium, quæ deſcribuntur primis tribus capitibus Geneſeos, & quæ apud Iobum & alibi dicuntur de ventis, de terræ motu, de terræ quiete, de varijs piſcibus, de arboribus, de gemmis, quarum rerum doctrina imperitè infarciretur in Syſtema Theologicum, etiamſi ſacræ Literæ multa de

eiusmodi rebus commemorent. Sic etiam multa in sacris historijs passim narrantur, de ratione belli gerendi, de armis & armamentarijs, de magistratu, de viribus & regnis, quæ ad politicam disciplinam referenda sunt, & neutiquam in Systema Theologicum immiscenda. Interim tamen hoc etiam fateor, quod ante quoque non dissimulaui, esse nonnulla per se & absolute ad Philosophiam pertinentia, quæ tamen quatenus sunt operationis Theologicæ principia, in Systemate Theologico debent præcognosci vel tanquam efficientes causæ vel finales, vel denique obiecta & subiecta, vt præter doctrinam de Deo, doctrina de Angelis, de homine, de mundo, quarum rerum naturam qui absolutè & perfectè ex Philosophia non cognouerit, is imperitus admodum θεολόγος & varijs erroribus obnoxius necessariò est futurus.

Quæritur denique. *Quorsum pertineat doctrina de Regimine & disciplina Ecclesiastica: itemque tota historia Ecclesiastica, & disputationes Chronologica de tempore creati mundi, de hebdomadibus Danielis, & nonnullis aliis difficilimis temporum rationibus.*

Vt hæc quæstio grauis & ardua recte expediatur, sciendum est, aliud esse Systema Theologiæ quod adumbramus: aliud vero totum studium Theologicum, quod vt intelligant Studiosi, res manifestius explicanda erit. Quædam ergo ad studium Theologicum pertinent, vt adminicula, nimirum cognitio linguarum & Philosophiæ, quæ tamen non sunt partes Theologiæ, quædam ad Systema Theologiæ pertinent, vt principia & præcognita proxima, ea nimirum quæ in prima nostra tabula delineauimus, quædam ad idem Systema pertinent vt partes & præcepta homogenea, ea nimirum omnia, quæ agunt de hominis miseria, deque eiusdem hominis reformatione ad imaginem Dei, qualia in secunda tabula adumbrata sunt. Denique quædam Systemati Theologico velut subalternatæ disciplinæ subordinantur, sic nim. doctrinæ de Ecclesia subalternatur peculiaris quædam disciplina, quæ oritur ex disciplina regiminis Ecclesiastici, ad quam pertinet doctrina de vocatione & ordinatione ministrorum, de presbyterijs

&



quirere deceat, quam in docendo & diſcendo, cum nihil aliud

DISPOSITIO BREVIS
totius Systematis Th

d pag. ymna- ci.

SYSTEMA. Theologiæ disponitur suis { Principijs, Libro 1. / Partibus, Libro 2. 3.

ADVMBRATIO L

Principium Theologiæ est, vel { Rei siue constitutionis DEVS; in quo consideranda { Essentia, quæ / Proprietas { A / R } } / Notitiæ siue cognitionis : patefactio diuina { Extraordinaria. / Ordinaria, { Primaria: / Secundar

---

ADVMBRATIO L

Partes Theologiæ duæ : { παθολογικὴ, de hominis miseria. / θεραπευτικὴ, de remedijs miseriæ.

Pars prior De Miseri

Circa Miseriam consideranda { Habitus, priuationem antecedens : vbi de statu hominis ante lapsum. / Caussa miseriæ, vbi de hominis lapsu. / Partes : { Peccatum { Originis. / Actus. } / Pœna { Originalis. / Aduentitia { Propriè dicta { πμωεία { Temporali / λύπγον. Æterna. } / ἀναλόγως dicta, Crux & afflictio pior

---

ADVMBRATIO L

ADVMBRATIO LI

Partes Theologiæ duæ : { παθολογικὴ, de hominis miseria. / θεραπευτικὴ, de remedijs miseriæ.

Pars prior De Miseria.

Circa Miseriam consideranda { Habitus, priuationem antecedens : vbi de statu hominis ante lapsum. / Caussa miseriæ, vbi de hominis lapsu. / Partes : { Peccatum { Originis. / Actus. } / Pœna { Originalis. / Aduentitia { Propriè dicta { πμωεία { Temporalis. / λύπγον. Æterna. } / ἀναλόγως dicta, Crux & afflictio pierum

---

ADVMBRATIO LI

Pars posterior, De remedio M

Remedium Miseriæ est, vel { Primum { Electio ad vitam æternam, / Redemptio; cuius spectandum { Subiectum, Iesus Christus REDEMPTOR, in quo duo consideranda: { Persona , in qua / Officium ; cuius considerandæ } } } / à primo ortum, { Iustificatio ; cuius spectanda causa efficiens { Principalis { Externa ; meritum Christi. / Interna ; imputatio meriti. } / Instrumentalis, Fides ; cuius efficiens { Principalis Spiritus S, / Instrumentalis { Ordinaria / Extraordinaria, } } } / Regeneratio ; quæ vel { Inchoata, cuius spectatur { Subiectum, homo iustificatus ratione { Intellectus. / Voluntatis. / Appetitus. } / Effecta, bona opera, quorum spectatur { Norma, Lex moralis. / Partitio ; referuntur enim vel ad } } / Consummata. } }

ADVMBRATIO LIB

Pars posterior, De remedio Misse

Remedium Miseriæ est, vel { Primum { Electio ad vitam æternam, / Redemptio; cuius spectandum { Subiectum, Iesus Christus REDEMPTOR, in quo duo consideranda: { Persona , in qua / Officium ; cuius considerandæ } } } / à primo ortum, { Iustificatio ; cuius spectanda causa efficiens { Principalis { Externa ; meritum Christi. / Interna ; imputatio meriti. } / Instrumentalis, Fides ; cuius efficiens { Principalis Spiritus S, / Instrumentalis { Ordinaria / Extraordinaria, } } } / Regeneratio ; quæ vel { Inchoata, cuius spectatur { Subiectum, homo iustificatus ratione { Intellectus. / Voluntatis. / Appetitus. } / Effecta, bona opera, quorum spectatur { Norma, Lex moralis. / Partitio ; referuntur enim vel ad } } / Consummata. } }

VIS AC GENERALIS
natis Theologici.

TIO LIBRI I.

ſſentia, quæ conſideratur { Abſolutè. / Cum modo exiſtendi, & dicitur PERSONA { PATER, FILIVS, SPIRITVS S.

roprietas { Abſoluta. / Relata ad creaturas.

inaria.

ia, { Primaria: Verbum Dei ſcriptum; in quo conſiderandæ { Materia. / Forma. / Secundaria, { Vniuerſalis. / Particularis.

IO LIBRI II.

De Miſeria.
ante lapſum.

{ Temporalis. / Æterna.

afflictio piorum; vbi de Martyrio.

IO LIBRI III.

O LIBRI II.

e Miſeria.
te lapſum.

Temporalis.

Æterna.

ſlictio piorum; vbi de Martyrio.

O LIBRI III.

remedio Miſeriæ.

ſona, in qua { Partes, Diuina & Humana natura. / Partium vnio, facta { Conceptione. / Incarnatione.

Species { Propheticum; cuius actus ſiue ἀποτέλεσμα { Doctrina, / Efficacia Doctrinæ. / Sacerdotale; cuius functio { 1. Obedientia Legis { Patiendo. / Moriendo. / 2. Expiatio peccatorum. / 3. Applicatio ſatisfactionis. / 4. Interceſſio. / Regiũ; cuius ἀποτέλεσμα { Victoria. / Gloria { Glorificatio. / Triumphus; ſub quo { Reſurrectio: / Manifeſtatio poſt reſurrectionem. / Occupatio regni. / Adminiſtratio { Adſcenſio in cœlum; / Seſſio ad dextram Patris.

tium; cuius
ideranda

Obiectum, Ecclesia { Latè. / Strictius, quæ vel { Militans { Totalis { Veteris / Noui } Teſtamenti. / Particularis. / Triumphans.

naria { Verbum. / Sacramenta.

ordinaria, Miracula.

oralis. { Deum, cui debetur { Amor. / Timor. / Honor, qui vel { Celebrationis. / Inuocationis; quæ vel { Petitio cupitorum / Gratiarum actio, pro acceptis. / Obedientia.

runtur { Nos ipſos: circa propria: { Mentis. / Voluntatis. / Appetitus. / Proximum { Superiorem. / Æqualem. / Inferiorem.

LIBRI III.

edio Miſeriæ.

, in qua { Partes, Diuina & Humana natura. / Partium vnio, facta { Conceptione. / Incarnatione.

Species { Propheticum; cuius actus ſiue ἀποτέλεσμα { Doctrina, / Efficacia Doctrinæ. / Sacerdotale; cuius functio { 1. Obedientia Legis { Patiendo. / Moriendo. / 2. Expiatio peccatorum. / 3. Applicatio ſatisfactionis. / 4. Interceſſio. / Regiũ; cuius ἀποτέλεσμα { Victoria. / Gloria { Glorificatio. / Triumphus; ſub quo { Reſurrectio: / Manifeſtatio poſt reſurrectionem. / Occupatio regni. / Adminiſtratio { Adſcenſio in cœlum; / Seſſio ad dextram Patris.

; cuius
ndæ

Obiectum, Ecclesia accepta { Latè. / Strictius, quæ vel { Militans { Totalis { Veteris / Noui } Teſtamenti. / Particularis. / Triumphans.

naria { Verbum. / Sacramenta.

ordinaria, Miracula.

oralis. { Deum, cui debetur { Amor. / Timor. / Honor, qui vel { Celebrationis. / Inuocationis; quæ vel { Petitio cupitorum / Gratiarum actio, pro acceptis. / Obedientia.

runtur { Nos ipſos: circa propria: { Mentis. / Voluntatis. / Appetitus. / Proximum { Superiorem. / Æqualem. / Inferiorem.

nis Ecclesiastici, ad quam pertinet doctrina de vocatione & ordinatione ministrorum, de presbyterijs &

& diſciplina Eccleſiæ, de clauibus & excommunicatione.

Subordinantur etiam doctrinæ de Eccleſia, tota Hiſtoria Eccleſiaſtica veteris & nouæ Eccleſiæ: & quia nulla hiſtoria ſine computatione temporis ſcribi aut intelligi poteſt, ideo quæſtiones illæ Chronologicæ huc quoque referendæ ſunt. Sed & Ethica quodammodo Theologiæ ſubordinatur. Etenim in Syſtemate Theologico in genere tantum de virtutibus, quas Deo, quas nobis, quas denique proximo debemus, tractandum eſt: in ſpecie vero & ſigillatim de virtutibus ſecundæ tabulæ legis diuinæ non in Theologico Syſtemate, ſed peculiari diſciplina, Ethica nimirum è ſacris Literis reformata & completa docendum eſt. Quod autem de Ethica diximus, id etiam de OEconomica & Politica debet intelligi. Nam & harum diſciplinarum principia propinqua è Syſtemate Theologico petuntur, & tota etiam doctrina è S. Literis reformatur ac completur, vt doctrina de Coniugio, quæ eſt OEconomica, de officio parentum in liberos, dominorum in ſeruos, & contra, ad OEconomicam diſciplinam pertinent.

CAPVT X.

De ratione bene docendi.

EXpediuimus hactenus geneſin ſeparatam, qua ſecundum ſingulas Logicæ partes inſtituitur: iam nobis reliqua adhuc eſt geneſis combinata, quæ omnium Logicæ partium vſum ſimul miſcet.

Inter ſummos defectus quos deprehendimus in eorum ſcriptis, qui de vſu Logicæ tractarunt, hic non minimus eſt profecto, quod de Geneſi quidem ſeparata aliquid leuiter tangunt; combinatam autem tractationem ſiue geneſin penitus præterierunt, quaſi ſcilicet ad vſum Logicæ ea non pertineat, cum contra nullibi magis artis Logicæ vim aut conſpicere liceat, aut requirere deceat, quam in docendo & diſcendo, cum nihil

aliud

aliud ſit Logica quam bene docendi & diſcendi diſciplina: & cum, vt Ariſtoteles in primo Meta. capite primo inquit, *Signum ſcientiæ poſſe docere*, vnde & tertio de partibus animal. dicit, *peculiarem quandam eſſe eandemque excellentem facultatem, quæ τοῦ εὖ εἰδέναι vocetur*, facultas nimirum illa eſt iudicandi de iis quæ docenda & diſcenda ſunt.

Eſt autem combinata geneſis illa tum in docendo, tum in diſcendo.

Combinatam geneſin idcirco voco, quia qui docet, non tantum tractat thema ſimplex, aut tantum thema coniunctum: ſed hæc ſæpiſſime coniungit, & præterea etiam ad diſcentem ſæpe accommodat, ex qua accommodatione peculiaris relatio oritur peculiaribus inſtruenda præceptis.

Docendi genus duplex, accuratum ſeu acroamaticum eſt, & populare ſeu exotericum.

Ita diſtinguit Ariſtoteles 1. ad Eudemum, capite 6. & 6. Topic. capite tertio. Et duplicem illam viam docendi ipſe etiam in ſuo Lyceo obſeruauit, dum manè accuratè ſuos diſcipulos inſtituit in diſciplinis eminentioribus Metaphyſic. Phyſica & Mathematica: Pomeridianis verò horis in Rhetoricis eos inſtruens, monſtrauit quoniam cum hominib. popularibus oratione & colloquio eſſet agendum, vt nimirum non tam in ſublimibus rebus inſtruerentur, quam mouerentur variis affectibus, quibus populus potiſſimum ducitur.

Accuratum docendi genus eſt, quod inſtituitur iuxta ſtrictas normas Logicas, nec tam ad captum diſcentis, quàm ad rerum naturam & diſtinctam cognitionem accommodatur.

Canones accurati generis docendi generales ſunt 5.

In docendo 3. ſunt ſpectanda. 1, *docens.* 2, *diſcens.* 3, *Modus docendi.*

1. Docens ſe accommodet potiſſimum ad naturam

turam eius rei, quam docere vult, & idcirco discentem eligat non quemlibet; sed ingenij accurati & qui accuratæ doctrinæ capax sit.

Verissimè dicitur, *nullos esse labores difficiliores, quam parturientium & docentium*; itaque non quilibet ad accuratum docendi genus aptus est, nec quilibet etiam, qui se pro accurato doctore venditat, admittendus; siquidem, vt ante ex Aristot. citauimus, tantum scientis & sapientis est docere: & vulgatus est versiculus: *Quodque parum nouit, nemo docere potest.* Et Hieronymus ad Paulinum ait, *puerile est & circulatorum ludo simile, docere quod ignoras*: imo quod cum stomacho dicam, ne hoc quidem scire, quod nescias. Et Galenus in optimo Genere docendi præclare inquit: *Quod est oculus in corpore, id est intellectus in animo, non tamen omnibus pariter acutus*: & sicut is qui acutius cernit, ad rem conspiciendam adducit eum, qui visu est hebetiori: ita quibus contingit intellectus & ingenium acutius, ij aptissimi sunt, vt alios ad contemplationem adducant: quod idem & Saluator noster monuit, *Cum cæcus cæcum ducit, vterque in foueam cadit*. Quod autem dixi de eligendo discipulo, id consilio Aristotelis feci, qui non quoslibet promiscuè in auditorium suum admittebat, sed habebat delectum ingeniorum, vt Laërtius in ipsius vita testatur: Neq; enim ex quolibet ligno fit Mercurius; & oportet similitudinem quandam esse inter ingenium docentis & discentis, si fructus, quem docendo speramus, consequi debeat.

III. Methodus docendi non ex arbitrio docentis nec captu discentis, sed naturâ rerum & legibus Logicis æstimetur.

Hic enim valet grauissimum illud Arist. monitum 6. Eth. c. 3. δεῖ ἀκριβολογεῖσθαι, *oportet accuratum esse & non sectari similitudines.*

IV. Breuitas in docendo adhibeatur, quæ rei naturæ & magnitudini sit adæquata.

Duo hoc Canone doctorum vitia prohibentur, ex quib. primum est redundantia & superfluitas in docen-

do, quâ plus dicitur, quam res requirit: alterum est mutilatio, cum minus docetur quam rei docendæ natura postulat. quod quidem in docendo vitium perniciosius est, quam alterum; quia longè facilius est discipulo superfluâ resecare, velut amputamus luxuriantes vites, quam mutila & imperfecta complere, quod maioris iudicij & operæ: ita, vt mirum sit nonnullos hodie breuitatem in docendo appellare doctrinarum mutilationes, quæ cum legib. logicis, cum natura rerum, cum fidelitate denique & conscientia docentis planè pugnant, cum contra potius ita cogitare deberent, mutilitationem differre à breuitate, tanquam virtutem à vitio, tanquam corpus cui nullum planè membrum est superfluum, sed omnia bene proportionata, à corpore cui vel pedes vel manus sunt detruncatæ.

V. Verba in accurato docendi genere sint ad solum Intellectum & mentem accommodata, non ad affectus & delectationem.

Rectè inquit Aristot. c. 1. Elench. Soph. doceri & disputari non posse, nisi mediantibus verbis, velut calculis quibusdam & signis: itaque cum verba sint tegmina & volucra, quibus res ipsę velut fasciculis intricatę traduntur discipulis, plurimum refert, quibus, qualibusve verbis doctor vtatur in accurato hoc docendi genere: siquidem res ipsas auditor nunquam rectè comprehendet, nisi oratio docentis suis sit instructa virtutibus; quarum quatuor in hoc Canone præcipiuntur. 1. vt verba sint vsitata, aut si docendi perspicuitas postulet terminum aliquem nouum, is terminus erit diligenter explicandus: 2. vt verba sint propria, nullam ἀκυρολογίαν sapientia. 3. vt perspicua sint: & deniq; 4. vt sint certa, omni vacantia ambiguitate, de qua re etiam in Syst. monuimus pag. 10. & inprimis 24. & seqq.

Est autem accuratum genus docendi vel liberum vel textuale.

Liberum est, cum non aliorum dicta & scripta explicamus, sed ipsi rem proponimus.

Estq́, iterum vel integra disciplina, vel certa partis

partis vel thematis.

Integra disciplina docetur his Canonibus.

I. Prima docentis cura sit, vt perfectum habeat an disciplina quam docere vult, sit contemplatrix, an operatrix.

Prima hæc est & summa ἐποπτεία in docendis integris disciplinis, vt cogitetur cuiusmodi res subiecta sit, quam disciplina illa tractat, an nimirum tantum cognosci possit contemplando, an vero etiam produci operando: Hinc nimirum & partitio disciplinæ, & tota denique methodus dependet.

II. Systema disciplinæ secundum præcepta methodi Synthetica, si contemplatrix sit: sin vero operatrix, ad præcepta methodi analytica disponatur.

III. Cum autē omnis methodus sit ex Præcognitis, necesse est ea prius dextre expediri, ita vt in contemplatricibus Subiectū, in operatricibus præter Subiectū & Obiectum etiam finis præcognoscatur.

Qui in principio viæ aberrat, nunquam ad media peruenit, & paruus error in initio, fit maximus in fine, quia in principio finis ipse & media quadam potestate latent. Sic ergo qui in præcognitis disciplinarum impingit, frustra laborat de præceptis methodicè & rectè tractandis. Sunt autē duplicia præcognita, quædam διδακτικά, quæ tantum ad notitiam pertinent, quædam ἐφεκτικά, quæ instituuntur ad mouendos auditorum animos, vt hanc disciplinam & libenter & constanter discant: & ducuntur plerunque à disciplinæ dignitate, vtilitate & iucunditate.

Prioris generis præcognita sunt necessariæ partes disciplinarum: Itaq; nunquam in accurato genere docendi omitti possunt.

Alterius verò generis præcognita seu προλεγόμενα, vt vocant, cum declamatoria sint & non tam ad notitiam quā ad affectus referantur, possunt planè omitti & auditoribus cogitanda relinqui, vel orat. obiter instituta tractari, vt non videantur esse necessariæ partes Syst.

IV. Post præcognita partitio disciplina dextrè instituatur.

Partitio disciplinæ est velut fons ex quo omnia præcepta manant, & tota methodus velut scaturigine deriuatur. Itaq; si hic peccatur, vitium & tabes defluit per totam disciplinam, nec sperari potest vlla dextra & felix methodus.

V. Præcepta per partitionem & subpartitionem ordine legitimo tradantur, & per definitiones, diuisiones & Canones.

Omne præceptum disciplinæ alicuius sit vel definitio, vel diuisio, vel explicatio proprietatis, quæ in disciplinis operatricibus *Canon* seu *regula*; in contemplatricibus *theorema* dici potest. Quicquid enim ad rei alicuius naturam declarandam præcipuè pertinet, id est, aut essentiale aut subessentiale, seu proprium: Essentia definitione explicatur; proprium verò Canone seu theoremate: accedit deinde partitio rei in species aut membra, vt nimirum, disciplina id omne quod in re inest, inuoluat, eiusque contenta omnia methodicè persequatur.

VI. Præcepta autem habeant hæc tria requisita: 1, ut sint vera: 2, vt vtilia; 3, vt sint methodicè disposita.

Hæ tres leges omnium præceptorum magna attentione consideranda sunt his, qui disciplinas docent & discunt: etsi verò ij qui omnia præcepta artium tribus legibus obligant, vt sint κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ & καθόλου πρῶτον, dicant nihil diuersi à nobis, tamen præposteris id dicunt verbis; & malè ad ipsam rem accommodatis; quia hi termini proprie pertinent ad Syllogismi propositiones, vt ex Græca lingua & autoritate eius artificis, qui primus hos terminos Logicos sanxit, manifestum est. Præcepta autem disciplinarum nec per se sunt propositiones, (Definitio enim & Diuisio ad apprehensionem simplicium pertinent) &

vt

vt maximè eſſent propoſitiones, non tamen ſunt partes Syllogiſmi vel in genere vel in ſpecie. Itaque præceptorum leges non erant tum præpoſteris & aliunde detortis terminis efferendæ, cum legiſlatores habeant, vt lex omnis ſit verbis propria, & re gravis.

VII. Commentarij præceptis ſubijciantur, ſed vel literâ vel alio quodam manifeſto indicio ita inſtituant, vt diſcipuli poſſint prompte agnoſcere quid præceptum ſit, quid commentarius.

Quænam ad præcepta Syſtematum pertineant, paulò ante diximus. Quicquid ergo præter iſtam viæ diſciplinarum traditur, id omne non amplius præceptum, ſed commentarius dici debet. Ad commentarios autem refero. 1, præceptorum & terminorum nonnullorum, ſi obſcuri videantur, explicationem: 2, confirmationem præceptorum per autoritates clarorum virorum 3, defenſionem methodi noſtræ, quam ſequimur, & redditionem cauſæ, cur tali methodo inſtituimus. 4, oſtenſionem vſus præceptorum per illuſtria exempla, & denique 5, tractationem controverſiarum præcipuarum, quæ de rebus ipſis mouentur.

Tantum de docendo integro Syſtemate: ſequitur ratio docendi thema aliquod: Cuius Canones ſunt duo:

I. Docens videat, vtrum thema, quod proponere vult, ſit ſimplex, an coniunctum.

II. Si ſimplex ſit, methodo tractet ſimplici: ſi coniunctum, methodo coniuncta.

Quomodo tractari debeat thema ſimplex & coniunctum, in doctrina de geneſi ſeparata prolixè eſt explicatum, vt hic repeti non debeat, ſed potius ſi in vſu docendi thematis tractatio ſuſcipienda ſit, ad traditos ibi Canones ſtudioſis Logicæ ſit recurrendum.

CAPVT XI.

De aſtricto ſeu textuali genere docendi.

TActum de libero docendi genere: Aſtrictum eſt, cum autoris alicuius textum diſcipulis declaramus.

Neceſſarium eſſe hanc doctrinæ diuiſionem ex eo intelligitur, quia tam in Eccleſijs, quam in Scholis ſcripta probatorum autorum ferè crebrius ſolent explicari, quam noſtro arbitrio & libertate aliquid proponi & tractari.

Tractatur autem textus alicuius autoris tum reſolutione, tum illuſtratione.

Reſolutio eſt recognitio illorum artificiorum, per quæ autor ſuum propoſitum tractauit.

De reſolut. agemus in 3. lib. hic ſufficiat monuiſſe ad textuale genus docendi reſolutionem omnino requiri, cuius præcepta in dicto libro petenda erunt.

Illuſtratio eſt vel verborum vel rerum.

Verba ſunt vel ſimplicia vel connexa.

Virag̃ne illuſtrantur adminiculo vel Grammatica vel Logica.

Adminiculo Grammaticæ ſignificatio gennina vocum indicatur: Synonyma conferuntur. conſtructio expenditur.

Adminiculo Logicæ vox ambigua diſtinguitur: tropica ad propriam reducitur: propoſitio obſcura ſecundum præcepta in ſecunda parte Syſtematis p. 377. ad perſpicuam reducitur.

Res ipſæ declarantur eſſentiali ſcopo ſcripti ſine textus, propoſiti.

Textus autem omnis eſt vel didactus, vel practicus, vel denig̃ mixtus.

Textus didactus eſt, qui tantum ad notitiam ſeu cognitionem refertur.

Hic

Hic declaratur 1, revocatione ad certam methodum: 2, expletione eorum quæ ad plenam tractationem in proposito textu desiderantur.

Hæc sunt præcipua adminicula in genere observanda ad rerum declarationem in quouis textu: quæ varia deinde Academiarum consuetudine varijs solent & diuersis modis institui, quam varietatem ex Italis, Germanis & Gallis collegit *Iacobus Beurerus*, in miscellaneis Logicis de methodo, Hanoviæ excusis.

Practica autem scripta declarantur vel Historicè vel Rhetoricè.

Historicè aliquid declaramus. 1, afferendo similia historias, 2, explicando χωρολογίαν, topographiam & prosographiam: 3, denique transferendo hypotheſin ad theſin.

Commodius historica scripta explicari nequeunt, quam triplici isto, quem tradidimus, modo, ex quibus primus per se patet.

Alter modus est valde memorabilis, & continet tria historiæ κεφάλαια, sine quibus impossibile est res gestas rectè animo concipi: primum est notatio temporis, quo aliquid acciderit: secundum est, descriptio loci, in quo res gesta est: tertium est descriptio istius personæ, quæ aliquid egit aut passa est: quæ descriptio potissimum fieri solet per descriptionem familiæ, quam *genealogicam* vocant, vt cum Matthæus & Lucas descripturi historiam Christi præmittunt ipsius genealogiam.

Rhetoricum genus docendi pertinet ad populare, & consistit præcipue in amplificando & augendo.

Nolo hic de rhetorico & populari docendi genere prolixius tractare, memor instituti mei: quod nimirum de vsu Logicæ, non Rhetoricæ agam: Studiosi Theologiæ adminicula, vt spero, aliqua ad populare genus docendi in Ecclesia reperient in nostra *Rhetorica Ecclesiastica.*

CAPVT XII.

De ratione bene diſcendi.

QVomodò rectè docendum ſit, hactenus oſtendimus: ſequitur vt viam ac rationem demonſtremus bene diſcendi.

Diſcere autem eſt ea, quæ à docente ſeu ſcripto ſeu voce propoſita ſunt, nobiſq; noſtro iudicio comprobata, mente comprehendere.

Relata hæc ſunt, docere & diſcere: Etſi enim alterum ſit actio, alterum paſſio: ſicut dare & accipere, tamen huic actioni & paſſioni additur relatio, propter quam ſit, vt alterum ſine altero intelligi nequeat.

Eſt autem diſcendi genus aliud acroamaticum, aliud verò exotericum.

Prout enim docetur, ita diſcitur: quare ſi accuratè doceatur, non poteſt popularitèr diſci & contra.

Acroamaticè diſcere, eſt iudicium ſuum in rerum comprehenſione ad ipſarum rerum naturam & ordinem, atq; ad accurat. docentis iudic. conformare.

Sic autem diſcitur per hæc 4. 1, attentione, 2, ordinatione, 3, ſelectione, 4, imitatione.

Attentio eſt eorum quæ docentur aſſecutio & firma impreſſio.

Huius Canones ſunt 3.

I. Deligatur præceptor methodicus & perſpicuus, & qui acroamaticum genus docendi & teneat, & fideliter tecum velit communicare.

II. Vox viua ſemper præferatur mortuæ ſine ſcriptæ.

Felicitſimè diſcitur cum firmiter id, quod docetur imprimitur: nihil autem imprimitur in intellectum, niſi prius impreſſum ſit in ſenſum; quia ſpecies intellectuales à ſpeciebus ſenſibilibus & formantur & excitantur: Specierum autem ſenſibilium tanto firmior

formatio

formatio & impreſſio, quanto efficacius eſt obiectũ ſenſus: vnde neceſſario concluditur, per auditum longe firmius imprimi ſpecies ſenſiles & intellectuales, quam per viſum & lectionem, quia viſus obiectũ inter legend. eſt tantũ color & figura, quę admodũ debiles ſpecies in oculis mouẽt: auditus autẽ obiectum eſt ſonus, qualitas realis & penitius penetrans in interiora Organa, atque ideireo & firmius imprimens id quod à Doctore auditur, & mentem diſcentis efficacius mouens & iucundius afficiens; quod vel inde manifeſtum eſt: quia inter audiendum non tam facile mens ſopitur & ad ſomnum homo componitur, quam inter legendum: Sic ergo & intellectui & memoriæ ſimul & denique ordori diſcendi vox viua conſulit, vt merito exclamat Hieronymus: *Nescio quid latentis efficaciæ inſit in voce viua.* Plinius Secundus epiſtolar. lib. .. ait. *Licet acriora ſint, quæ legas, altius tamen in animo ſedent, quæ pronunciatio, vultus, habitus, geſtus etiam dicentis adſcripſit*: qua de re videri poterit Erasmus in explicatione Magiſtri muti: ſicut & Plutarchus in libello περὶ ἀκροάσεως: & Scaliger exercitatione 308.

III. *Diſcens audita vel lecta ſolus ſecum ruminetur, & occaſionem captet illud quod didicit apud alios expromendi.*

Ruminatio certum reddit animum de ijs, quæ lecta & audita ſunt. itaque inprimis eſt neceſſaria, cum per eam cibus animi, qui inter audiendum & legendum primam aut ſecundam concoctionem ſubierat, nunc tertia concoctione in Subſtantiam animæ per doctrinam alendæ conuertatur. Alterum quod hoc Canone ſuadetur, eſt, vt quæ didiceris, coneris in colloquio aliquo aut in priuato vel publico docendi munere expromere: ſic enim demum conſidere potes te certo aliquid ſcire, cum non pudet apud alios profiteri, vnde natum eſt prouerb. Doct. *Docendo diſcimus*: & Ariſtot. inquit, *Signum certæ ſcientiæ eſt poſſe docere.* Sic eleganter, vt omnia, Seneca epiſt. 6. ſcribit. *In hoc gaudeo aliquid diſcere, vt doceam: nec me vlla res delectabit, licet eximia ſit & ſalutaris, quam mihi vni ſciturus ſum: ſi cum hac*

exceptione

exceptione detur sapientia, vt illam inclusam teneam, nec enunciem, reijciam: Nullius boni sine socio iucunda possessio est.

Alterum medium bene discendi consistit in ordine studiorum nostrorum.

Bene dicitur *ordinem esse animam studiorum*: quia cum studia ordine tractantur, tum demum formam suam habent & feliciter ac cito perfici atque absolui possunt: contra vero cum ordo abest, merum cadauer sunt studia nostra, cum confusio & gratiã omnẽ rebus detrahat, & nullo tamen sine easdem beet: id quod, proh dolor nimis, quam multi studiosi, qui sine ordine in studijs vagantur, omnibus temporibus sunt experti.

Huius ordinis Canones sunt hi:

I. Studium verborum a studio rerum principio discernatur, & aliud tempus linguis discendis, aliud rebus comprehendendis impendatur.

II. Linguis impendi debent floridiores anni adolescentiæ & iuuentutis: quia ad has nullo pene iudicio, sed memoria tantum opus est, quæ in iuuentute viget.

III. Quia linguæ propter res discuntur, & verba tantum sunt imagines rerum: ideo minus temporis in ætate virili linguis seu verbis, quam rebus est impendendum.

Quicquid discitur, aut ad verba seu linguam pertinet, aut ad res ipsas. & optandum quidem esset vnicam esse omnium linguam, ne variarum linguarum studio per se sterili, tam breuis hominum vita auocaretur à studio præclarissimarum rerum, quæ demum hominis perfectionem concernunt; cum linguæ tanquam cortices rerum & vmbræ per se & sua natura parum admodum ad perfectionem humanam conferant. Vnde & Deus homini perfecto tantum vnicum esse sermonis genus voluit, & volet etiam in altera vita teste Paulo 1. Cor. 13. *Linguæ*, inquit, *cessabunt*. Atque hac parte valde nos infelices

infelices ſumus præ illis, quos tantopere admiramur, Græcis Philoſophis, Platone, Ariſtotele. Etenim maximam noſtræ ætatis partẽ, præſertim Theologiæ ſtudioſi, conſumimus in difficili & tædioſo trium, imo plurium ſæpe linguarum ſtudio, rebus ipſis interim vix tertiam noſtræ vitæ partem impendentes: ſic nimirum vt ſtudia noſtra ſimilia ſint illis, qui circa cortices & putamina amouenda occupati, ad nucleum vel tarde, vel plane non perueniunt, aut ſaltem eum leuiter tandem poſſunt deguſtare. Contra Ariſtoteles & alij Græci nullam dicerunt linguam, cum materna illis abunde ſufficeret ad ea de rebus omnibus ſcripta legenda, quæ vel ad neceſſitatem vel abundantiam requiruntur, vbi quis non immerito in eam opinionem poſſit deſcendere, noſtræ ætatis ingenia cum ingenijs veteribus, quæ tantopere admiramur, merito certare poſſe, cum experientia teſtetur, tum patrum noſtrorum ætate, tum noſtra etiam multos fuiſſe & eſſe, qui & plurimarum ſimul linguarum, & variarum etiam rerum cognitione excelluerint.

IV. Ad ſtudium autem linguæ cuiuſque rectè inſtituendum, duo requiruntur. 1. *Methodicum & dexterum Syſtema artis Grammaticæ:* 2. *Comprehenſio ſignificationum cuiuſque vocis in illa lingua.*

V. Quod ad rerum ſtudia, ea vel diſcuntur in integris diſciplinis, vel in particularibus thematibus.

VI. Syſtemata diſciplinarum inſtrumentalium neceſſario prius diſcenda ſunt, quàm principalia.

Inſtrumentales diſciplinæ ad res ipſas pertinentes ſunt Rhetorica & Logica, *neceſſario reliquis diſciplinis idcirco præmittenda, quia ſunt claues, per quas fores principalium diſciplinarum reſerantur.*

Inter principales autem diſciplinas poterit inſtitui

tium fieri ab Ethica. 2. progrediendum ad Physica, Mathematica, Metaphysica, dum tandem subsistamus in facultate siue in Theologia, *siue in alia quam propositam habemus.*

Systemate autem disciplinæ dextrè ordinato & mente comprehenso, tum demum accedatur ad lectionem autorum, qui ad eam disciplinam confirmandam aut illustrandam faciunt.

Hic Canon maximum continet bene discendi momentum, quod quia hodie ita pauci obseruant, non est mirum, si ita infeliciter discant, inuolant enim in autores ipsos, vtputa Aristotelem, Platonem & alios, & tempus omne consumunt in perficiendis horum verbis, & legendis variis commentariis, nihil interim methodicum & dextrum animo voluentes, ad quod tanquam regulam & Cynosuram certam autorum scripta examinare, & commentarios vel ipsimet mente conficere, vel aliorum interpretationes idonee iudicare possent. Tales infelices studiorum suorum rectores perpendere debebit gratissimam Philippi Melanchthonis admonitionem pag. 3. Rhetor. *Aristoteles*, inquit, *profectò & alij autores intelligi non possunt, nisi ad eos summa arte*, id est, *Systemata disciplinarum afferantur.*

Commentarios præceptorum sedulo ab ipsis præceptis distinguere oportet discentem, & in præceptis hunc ordinem obseruare, vt 1. definitiones & diuisiones constructis in eum vsum tabulis animo comprehendat, & vbi ista comprehenderit, ad Canones & Theoremata sese conuertat, eaque diligentissimè tum intellectu tum memoria complectatur.

Duo hoc Canone mouentur summè etiam necessaria ei, qui feliciter proficere velit. Primum est de non miscendis commentarijs cum præceptis disciplinarum. Quid autem ad commentarios pertineat, quid ad præcepta, supra diserte determinauimus, cum de ratione docendi tractaremus. De commentarijs autem vnum

hoc

hoc moneo, cum ad eos etiam pertineant cõtrouersiæ, quæ hodie præsertim tam disputaci seculo per omnes omnium disciplinarum particulas prope infinitæ mouentur, vt discentes de talibus controuersijs & disputationibus initio non laborent, sed nuda præcepta methodicè comprehẽsa prius fidelissimè discant antequam controuersiæ sese immisceant, oportet enim semper id quod rectum est prius nosse, antequam de curuo possis iudicium ferre. Alterum quod hoc canone monetur, est de ordine in ipsis præceptis discendis seruando, & cum omne præceptum sit Definitio, Diuisio, aut Canõ, canones vero proprietatem indefiniti explicent, proprietates vero rerum plerunque sint variæ & multæ, vt necesse sit numerum canonum excrescere, ideo consultum iudico, vt qui Systema discere vult, tantum definitiones & diuisiones animo imprimat, sibique tabulam paret, aut si parata iam sit, eam sæpe inspiciendo sibi familiarẽ faciat, vt possit quocunque tempore totius Syst. ordinem, aut materiarum seriem ad digitos, quod dicitur, & vnguem enumerare; quod vbi assequutus fuerit, pergat tunc ad canones animo infigendos.

Discens vno tempore vnicam tantum disciplinam tractet, & hac absoluta ad alteram demum se conferat, eo ordine, quo ante diximus, incipiendo ab instrumentalibus.

Sapientissime dictum est ab Hippocrate, Παν τὸ πολὺ πολεμιον τῆ φυσι, *omnis multitudo est inimica naturæ*, & ab Aristotele 1. Politic. c. 3. ἕνα δ' ἑνὸς ἄριστα διοτελεῖται, *vnum ab vno optime perficitur, & plura ab vno male.* Et Poëta Iuuenalis inquit:

Pectora nostra duas non admittentia curas.

Quæ quidem nullibi magis vera sunt, quàm in ratione discendi, vbi omnis multitudo noxia est & pestilens. Nimirum discere est nihil aliud, quam rerum aut verborũ doctrinam intellectu & memoria coctam in mentis quasi substantiam vertere: vt ergo in corpore nostro varij & discrepantes cibi vno tempore in ventriculum gesti, nunquam conuenientem nutritionem efficiunt, sed cruditates & morbos pariunt: ita etiam

varie-

varietate rerum discendarum spiritus & species intellectuales inter sese confunduntur & miscentur: atque adeo imaginationem pariunt, vel admodum imbecillem, qua rerum species intellectui non possint adhærescere, vel etiam monstrosam sæpe & variorum errorum generatricem.

Inter discendum amor ardens eius rei quæ discitur, animo foueatur, & sine interruptione quod cœptum est, continuetur.

Duo in hoc canone monentur ad fideliter discendum itidem valde necessaria: prius est de amore eius disciplinæ, quæ discenda est: amor enim est cupiditas fruendi illa re quam amamus: cupiditas autem illa fortiter imprimit rei amatæ speciem & imaginem in mente, simulque excitat & stimulat intellectum, vt cogitet & cõsilia inueniat, qualiter amans re amata quam citissimè frui possit: Hinc sapienter Plato dixit *Quicquid discimus, & quicquid omnino pertract amus in tota vita, id omne ex amoris fontibus profluit, qui sim latius manantibus vberius irrigati animi, artes aut inueniunt, aut inuentas fideliter percipiunt.* Quod si ergo inuestigationis oblectamentum non inhæret affixum, frigidè ac segniter res tota procedit: inueniendi enim desiderium fomes est ac incitamentum ingeniorum: imo vero disciplinæ præcepta traditurus, nisi amet, non videtur munus suum explere. Alterum quod canon monet, est de vitanda interruptione, ne nimirum vbi disciplinam aliquam cœpimus, eam velut in medio subsistentes, deponamus, quæ res summopere obest intellectui & memoriæ: quia cum ordo vtriusque lumen sit, & vero interruptio ordinem inuertat, dum connexionem partium rumpit, necesse est & species in intellectu confundi, & in memoria quadam velut litura obliterari & infeliciter misceri: vbi tamen illud non volumus, sine vlla recreatione continuatis diebus & horis omnibus vnicę tantum rei esse inhęrendum; sed id tantum præcipimus, vnica disciplina cœpta, & imperfectè relicta, alteram non esse auspicandam: nam alias certum est, amare alterna Cumænas, & durabile non esse, quod caret alterna requie: Sic ergo agat Studiosus;

dioſius; tres horas matutinas, & duas pomeridianas vni diſciplinę impędat de die, reliquas horas tribuat aut exercitijs corporis, aut muſicæ, aut lectioni hiſtoriarum: quin & in continuatione horarum obſeruet Marſilij Ficini libr. 1. de ſanitate ſtudioſorum, cap. 8. *Per duas*, inquit, *aut tres horas continuas, cum magna intentione non eſt meditandum aut diſcendum, ſed vbi vna hora attenta meditatione conſumpta eſt, auocari nonnihil mens debet, & reſpirare, ſic vt ſurgamus, & deambulemus nonnihil, donec ſpiritus, qui attenta meditatione diffuſi erant, recolligantur, & tum demum aggrediendum opus de integro.*

Tantum etiam de ordine diſcendi: ſequitur ſelectus, quo ea quæ apud alios legimus obſeruatione digna, aut quæ nobis etiam propria intentione incidunt, ſub certas claſſes & titulos diſponimus, vulgo vocant, collectionem locorum communium.

Res eſt admodum decantata in omnium literatorum cœtu, collect. illa *locorũ communium* vt vocant, ita, vt multi ſcriptores recentes præſertim de locis communibus recte colligendis præcepta in publicum ediderint, certosque titulos conſignarint, ad quos ſcilicet omnia, quæ legimus, debeãt reuocari, quorum quidẽ ego iudicijs nec volo, nec debeo præiudicare: ſed interim diſſimulare non poſſum parum vtilem mihi videri iſtam quam plerique ſeruant locorum communium rationem: grandibus enim voluminibus rem tentant labore Herculeo, & vel alphabetico ordine, vel alio quouis arbitrario titulos conſignant, ad quos promiſcuè omnium rerum & diſciplinarum materias, vel potius elegantiores tantum ſententias tumultuariè congerunt, ordini nimirum & naturæ & intellectus & memoriæ denique peſſimè conſulentes, vt nihil dicam de tempore & de charta, quæ duo tam iniquè prodigunt.

Loci communes ſunt tituli methodicè diſpoſiti, ad quos lecta & meditata referuntur.

Sunt q; vel verborum, vel rerum.

Quicquid enim legimus & meditamur, id omne ad hæc

hæc duo reducitur, res nimirum & signa rerum: itaque omnis locus communis seu titulus erit vel rei ipsius, vel verbi alicuius titulus: verborum autem locos propono; quia cum sint signa rerum, sensui sunt viciniora, atque adeo notiora nobis: quo accedit, quod in ætate pueruli & adolescentia verborum studium prius à nobis tractetur, antequam ætate & iudicio matureſcente admittamur ad res ipsas.

Verborum Loci sunt vel verborum communium, vel verborum technologicorum.

Verborum communium loci sunt iterum duplices; aut simplicium, aut coniunctorum.

Verborum simplicium loci sunt in Lexicis, & in Nomenclatore, præsertim Adriani Iunij.

Quod ad ordinem simplicium dictionum in Lexicis, nullus esse potest vel naturæ vel memoriæ conuenientior, quam is, qui primum obseruatus fuit in Lexicis Hebræorum, vt nimirum secundum seriem consonantium, dictiones primitiuæ primò seperatim ponerentur, post adderentur voces deriuatiuæ, quem ordinem imitati deinde sunt Græci, *Henricus* inprimis *Stephanus* in Thesauro Græcæ linguæ, & huius Epitomator *Scapula*. In Latinis vero Lexicis quædam adhuc perdurat confusio: optimum tamen habetur inter omnia id, quod *Robertus Stephanus* edidit, & *Thesaurum Latinæ linguæ* insignuit.

Verborum coniunctorum seu phrasium loci ita optimè videntur disponi, si solemniores tantum & vsitatiores vel in vita communi, vel etiam in tua facultate quam profiteri vis, formulæ secundum ordinem ipsarum rerum colligas.

De phrasibus colligendis multi præstantes viri præscripserunt tam in Latina, quam in Græca lingua, tam in prosa, quam in Poesi, nimirum *Iohannes Sturmius*, peritissimus eius rei artifex, & *Iustus Lipsius* in aureo illo libello, quem inscripsit *De institutione Epistolica*. *Andreas* etiam *Dudithius Augustinianus* huius rei specimen dedit in

in *thesauro*, quem vocat *conscribendarum Epistolarum*. Sed inprimis *Roberti Stephani Thesaurus* ille, quem ante citaui, etiam hic maximum adiumentum præstat: addi his possunt *Nizolius*, *Faber*, *Bentzius*: & in Græcis *Phraseologia Neandri Soraniensis*; *Posselij calligraphia*, nec non eiusdem *Bentzij Thesaurus phrasium Græcarum*. Cæterum quod canon monet de duplicibus phrasibus, id ita accipi debet: phrases sunt vel populares in materijs ciuilibus, vel peculiares in artibus: phrases in rebus popularibus & ciuilibus ordinem vix admittunt: quia sunt infinitæ, prout & ipsæ res populares, quę quotidię nascuntur & denascuntur: itaque meum hoc est consilium, vt solenniores tantum materiæ, & quæ aut orationem aut carmen ingrediuntur, seligantur vt earum tituli phrasibus præscribantur. Eas autem materias solenniores accuratè collegit Scaliger in illo incomparabili libr. de Re poëtica; ex quo tituli ordine possunt colligi & desumi, vt sunt *Phrases nuptiarũ*, *Phrases natiuitatis*, *phrases gratulandi de officio aliquo*, *phrases bene precandi*, *laudandi*, *vituperandi*, *dedicandi libros*, *lugendi in funere*. Artificiales autem phrases sunt earum materiarum, quæ in certa aliqua disciplina tractantur, vt sunt phrases Theologicæ, iuridicæ, politicæ: Et tales phrases admittunt certam methodum; ipsarum nim. rerum, quarum dispositionem paulò post ostendemus: poterit ergo collector locorum communium sub titulo rei ipsius aream quandam breuem in latere dextro aut sinistro paginæ vacuam relinquere pro phrasibus peculiaribus & rarioribus quibus vtendum est, quoties de re illa, quam titulus indicat, loquendum fuerit. Quod præceptum in primis necessarium est in locis Theologicis vbi sæpe astringimur ad certas loquendi formulas in Ecclesia receptas: vt, si loquendum sit de persona Christi; notentur phrases patrum Græcorum περὶ κοινωνίας. si de iustificatione, notentur phrases Augustini, vitentur phrases Origenis & Pontificiorum.

Loci communes artificialium terminorum siue verborum simplicium vsitatorum in certis disciplinis ita colliguntur, vt loci ipsarum rerum.

Termini artium vocantur dictiones simplices, quæ simplex thema in arte tractatum significant, vocantur vulgò vocabula τεχνολογικὰ vel vno verbo τεχνολογεματα, vt in Logicis est vocabulum *Generis*, *Speciei*: In Metaphysicis vocabulum *Entis*, *Rei*, & alia eiusmodi. Optima ergo ratio, quæ seruari possit in colligendis vocabulis technologicis ea est, vt secundum materias disciplinarum termini, quibus singula themata simplicia ab artificibus exprimuntur seruato eo materiarum ordine, quem paulò post præscribemus, annotentur: vt si quis exempli gratia, velit colligere Lexicon aliquod terminorum Philosophicorum in Metaphysicis, procedat ordine ipsarum materiarum, quæ in hac scientia tractantur; annotando nimirum 1. terminos subiecti scientię huius, pòst affectionum, & denique principiorum.

Exemplum aliquod in conscribendis locis communibus terminorum technologicorum, confido me dedisse in Systemate Logico, vbi in commentarijs termini Logici primo loco secundum ambiguitates suas explicantur; quod quidem exemplum sequi studiosi possunt in Systemate Theologico, aut alterius cuiuscunque disciplinæ.

Tantum de locis communibus verborum: sequuntur loci ipsarum rerum, qui sunt vel theoretici vel practici.

Loci communes theoretici sunt, qui ad notitiam & cognitionem tantum pertinent.

Suntq́ vel præceptorum essentialium, vel commentariorum.

Loci præceptorum sunt sedes materiarum, quæ in singulis disciplinis secundum propriam methodum disponuntur.

Vno verbo consilium locorum communium realium expediam: non conficiatur promiscuum aliquod volumen materiarum ad omnes disciplinas pertinentium, sed quot sunt disciplinæ, tot conficiantur libelli

Locorum

Locorum communium, & in his libellis non ſeruetur puerilis ille alphabetarius aut arbitrarius ordo, ſed is ipſe, quem diſciplinæ natura præſcribit. Ac primò quidem conficiantur loci communes diſciplinarum inſtrumentalium, *Logicæ & Rhetoricæ: Loci communes Logicæ* diſponantur ſecundum eam ſingulorum capitum methodum, quam in noſtro Syſtemate deſcripſimus. Si quis ergo iam quæreat, quæ ſit optima ratio colligendi locos communes eſſentiales, ipſorum nimirum præceptorum in Theologia, et aliud conſilium nullum ſuppeditare poſſum, quam vt materias Theologicas ſibi confingat in aliquo peculiari volumine eo ordine, quo in duabus tabulis totum Syſtema Theologicum adumbrauimus: quod ad ſpatia attinet, quæ ſingulis materiarum titulis relinqui ſolent & debent, eth prudentiæ cuiuſque id relinquendum ſit; tamen ſequentibus præceptis, prout nobis videtur, commonefaciemus.

Singularum diſciplinarum materiæ diſponendæ erunt ſecundum methodum quæſtionis ſimplicis, vt primus titulus ſit de nomine cuiuſque thematis, alter de genere, & ſic deinceps, prout diligenter in tractatione thematis ſimplicis is ordo fuit deſignatus.

Singulis autem titulis tractationis, quæ in qualibet quæſtione ſeu themate ſimplici obſeruantur, relinqui poſſunt duo folia, aut etiam tria, prout num. quilibet charactere vtitur aut grandiori aut exiliori.

Commentariorum loci communes præcipuè ad diſputationes & controuerſias, quæ circa quamlibet materiam Syſtematis alicuius diſciplinæ mouentur, pertinent.

Canones de locis communibus controuerſiarum ſunt hi:

Secerni diligenter debent controuersiæ circa materiam incidentes, & horum tituli siue loci à titulis ipsarum rerum simplicium in sua natura spectatarum.

Suprà monuimus in disciplinis diligenter discerni debere commentarios à præceptis, & ad commentarios inprimis pertinere controuersias & quæstiones, quæ circa quamlibet materiam solent moueri, & quæ ipsi rei non sunt essentiales; cum omnis disputatio oriatur non ex natura entis, cum quo vnum, verum, & certum reciprocantur, sed ex ingenio humano, eiusq; vel errore & dubitatione, vel etiam petulantia & malitia. Idem obseruandum est in collectione communium locorum, qui ita instituendi sunt, vt vbi singulis disciplinis singula & distincta volumina destinauimus, in istis voluminibus titulos materiarum ad quamlibet disciplinam pertinentium describamus ordine: & deinde primum & generalem titulum in titulos particulares subdistinguamus, secundum ordinem & membra tractandæ quæstionis simplicis. vt, exempli gratia, in locis cõmunibus Theologicis ponitur generalis titulus ad secundam Theologiæ partem pertinens, FIDES; Hic titulus suos habet, vt ita loquar, subtitulos. primus est de *nomine fidei*, cui suum spacium relinquitur: alter de *genere fidei*, cui itidem suum spacium assignandum: tertius *definitio fidei*, quartus *de causa fidei efficiente*, & sic deinceps, donec vltimus subtitulus sit de *oppositis fidei*, prout suprà hoc exemplum quæstionis simplicis pertractauimus: Vbi ita ipsa rei natura, per titulos suos fuerit digesta; tum demum de colligendis locis communibus controuersiarum cogitandum est, eo modo quem canones nostri præscribunt.

Ordo controuersiarum pendet ab ordine ipsarum rerum.

Id est, quo ordine disposuisti titulos thematum simplicium, eodem etiam controuersiæ sunt disponendæ; vt in Logicis primus titulus controuersiarum erit de genere: alter de fine, tertius de diuisione Logicæ: quartus de

de terminis ſimplicibus, & ſic deinceps: in Theologia prima controuerſia erit de ſalute ſeu *ſummo bono*; altera, *de Deo*; tertia, *de verbo Dei*; & ſic deinceps, prout apparet titulos ſimplices in tabula Syſt. Theologici eſſe diſpoſitos.

Subtituli autem controuerſiarum diſponi debent ſecundum membra tractandi problematis.

Sicut tituli rerum ſimplicium habent ſuos ſubtitulos, ita etiam quilibet titulus controuerſiæ alicuius ſuis ſubtitulis diſtinguitur: itaque prima pagina habebit titulum de ſtatu controuerſiæ, vbi annotari poterint variæ detorſiones aduerſariorum, conantium ſtatum controuerſiæ inuertere; alter ſubtitulus habebit præcognita ex parte ſubiecti; tertius continebit præcognita ex parte prædicati; quartus continebit diſtinctiones & limitationes; quintus argumenta pro parte noſtra; ſextus habebit examen diſtinctionum & limitationum aduerſarij; ſeptimus, refutationem obiectionum aduerſarij: qui iterum diuidi poteſt in obiectiones ex ratione, & in obiectiones ex authoritatibus. Vltimus denique ſubtitulus complectetur collectionem πορισμάτων.

Vtrum autem abſolutis titulis ſimplicibus ſtatim velit ſubijcere aliquis titulos controuerſiæ, an vero peculiare volumen controuerſijs aſſignare, id arbitrarium eſt.

Mihi quidem videtur commodius, ne volumen vnum nimis excreſcat, ſingulis diſciplinis duo volumina deſtinare, ex quibus prius habeat diſpoſitos titulos materiarum ſimplicium diſciplinæ eſſentialium; alterum autem volumen contineat problemata ſeu controuerſias, quæ circa quamlibet materiam mouentur:

Controuerſiæ debent redigi ad paucas, quantum fieri poteſt, vt in ſingulis diſciplinis tantum ſummæ neceſſariæ, quæque hodie in vſu verſantur, locis communibus inſerantur.

Valde eſt vitioſum more Scholaſticorum omnia

diſſitare quæſtionibus: etenim cum omne ſimplex compoſito ſit dignius, atque adeo veritas ſimplex debeat præferri compoſitæ, non ſunt conſtituendæ concluſiones aut quæſtiones, cum in tractatione rei ſimplicis res expediri poteſt. Problemata ergo duobus tantum caſibus moueri debent: 1, cum grauiſſimæ ſunt dubitandi rationes in vtramque partem: 2, cum publicè ab aduerſarijs res in controuerſiam tracta eſt, ita vt aduerſarij iſti ſimplici veritati ſuis ſophiſmatibus poſſint officere. Quæ cum ita ſint, non poſſum probare eorum Theologorum ſiue Scholaſticorum, ſiue aliorum conſuetudinem qui ſingulis locis multas ſubijciãt quæſtiones, non tam de explicanda ſimplici materia ſoliciti, quam de problematis conſtituendis, cum tamen ſimplex materia & terminus ſit principium & fundamentum omnium quæſtionum, quas idcirco ſæpe mouere non eſt neceſſe; quia quod per ſimplicia tanquam pauca fieri poteſt, non eſt faciendum per compoſita, tanquam per plura. Quia vero opera danda eſt, vt ſicut in omnibus alijs diſciplinis, ita etiam in Theologia quam pauciſſimas habeamus quæſt. & controuerſias: idcirco alterum illud volumen locorum Theologicorum, quod *volumen controuerſiarum* dici poteſt, ita erit adornandum, vt non ipſi quæſtiones nouas fingamus, nec eas aſſumamus, quæ a Scholaſticis & alijs etiam inutiliter motæ ſunt; ſed hunc canonem obſeruemus, quem ante etiam ſuggeſtimus, & qui præcipit vt controuerſiæ noſtra tantum ætate agitatæ curentur & tractentur. Pugnandum autem hodie nobis eſt cum his aduerſarijs. Prima, *Arianu*, & *Samoſatenianu*. Secunda, *Anabaptiſtu*, qui tamen in multis cum Samoſatenianis conueniunt. Tertia, cum *Schwenckfeldianu*, qui itidem non pauca habent cum *Anabaptiſtis*, communia. Quarta, cum *Pontificiis*, præſertim *Ieſuitis*, & denique 5, cum *Vbiquitarijs*, qui *Lutheranorum* nomen vſurpant. Horum aduerſariorum libri in manus ſumantur, vel etiam ex noſtratibus qui contra eos ſcripſerunt, perſpiciatur, quænam & quot controuerſiæ, quibus & quot articulis nobis cum iis intercedante. E. g. Controuerſiæ cum Arianis & Samoſatenianis, quænam & quot ſunt, diſcetur ex ſcriptis *Zanchij de tribus Elohim*.

Item ex ſcriptis Clariſſ. *Ionij* contra Samoſatenianos: Bellar. quoq; tomus 1. qui de Deo & Chriſto agit, ad hanc rem nobis ſeruiet. Cum Anabaptiſtis vero quæ & quot controuerſiæ nobis intercedant, optime diſcetur ex *colloquio Franckentalenſi*, & ex ſcriptis *Caluini contra Anabaptiſtas* & *Libertinos*. Controuerſię quas mouẽt Pontificij, non aliunde melius diſcuntur, quam ex 4. *Bellar.* tomis, vbi ordine ſunt digeſtę omnes. Cõtrouerſię motæ ab *Vrquitarijs* conuenienter diſponuntur in *colloquio Mumpelgardenſi*: controuerſiæ cum Schwenckfeldianis cognoſci poſſunt ex tractatu Clariſſ. Doct. *Toſſani contra Schwenckfeldium*. Si quis vero vno corpore diſpoſitas cupiat omnes noſtri temporis controuerſias, ei non inutile eſſe exiſtimo, quod Catalogum hæreticorum, quem aliquot tomis congeſſit *Conradus Schluſſelburgius*, homo quidem valde importunus & intemperans in Orthodoxos; ſed non propterea contemnendæ diligentię in controuerſijs noſtræ gratis digerẽdis. Atq; hoc eſt conſilium noſtrum de adornandis locis communibus, pro quo confirmando inueni locum memorabilem Philip. Melanchth. in Rhet. p. 68. vbi inquit: *Quidam putant ſe locos communes habere, cum de variis rebus congeruatas ſententias poſſint ex poetis & Oratoribus excerpſerunt: & quia iudicant hanc congeruationem inſignium dictorum perfectam eſſe doctrinam, nihil habent conſilij in legendis autoribus, & nullam artem perfecte diſcunt: & ideo hoc ſtudium plurimum nocet, quia in ſtultis parit doctrinæ perſuaſionem, qua nihil eſt pernicioſius.* De inſignibus vero ſententijs autorum, quibus vel in oratione vel alibi ſæpe vtendum eſt, velut quibuſdam gemmis, hoc conſilium ſuppedito; quia iſtæ ſententiæ plerunq; proprietates aut effecta rerum ethicarum, œconomicarum, politicarum aut theologicarum continent, aſcribi poſſunt harum diſciplinarum methodice diſpoſitis titulis, & referri ad ſubtitulum eum, qui cuiuſq; virtutis effectus aut proprietates complectitur: vt ſententia illa: *Virum fortem qualibet terra alit* aſcribenda eſt ſubtitulo effectuum fortitudinis in locis communibus Syſtematis Ethici. Do & aliud conſilium; comparet ſibi ſtudioſus Stobæum aut Polyantheam nuper Geneuæ eleganter editam; in quibus

libris præcipuarum ſententiarum loci communes & tituli ſunt digeſti, & ſi alicubi legant ſententiam aliquam inſignem, quam nec in Stobæo, nec in iſta Polyanthea videbit eſſe annotatam, annotet ad alterutrius libri marginem, aut in chartam puram horum librorum foliis interſertam.

Tantum de locis communibus theoreticis: ſequuntur practici, qui ſunt vel Rhetorici, vel Hiſtorici.

Rhetorici loci non vocantur hoc loco illi, qui ad præcepta Rhetorica pertinent, ſed qui ad vſum & praxin præceptorum referuntur.

Loci communes de præceptis Rhetoricæ qualiter colligendi ſunt, ex antedictis eſt manifeſtum: nimirum ſi ex Syſtemate huius artis dextre diſpoſito, tituli ex eo ordine deſcribantur, quo ipſæ materiæ præceptorum in Syſtemate diſponuntur. Hoc loco aliud nobis conſilium propoſitum eſt de ipſa praxi Eloquentiæ, qualiter eam per locos communes iuuare poſſimus.

Canones colligendorum locorum communium Eccleſiaſticorum ſunt hi:

I. Diſtribuantur loci communes Rhetorica Eccleſiaſticæ in duo volumina, ex quibus prius contineat locos ad docendum comparatos: alterum locos pertinentes ad mouendum.

Duo enim ſunt Oratoris Eccleſiaſtici officia & ſcopi; docere & mouere, teſte Paulo 2. Tim. c. 3. Et idem etiam ex Auguſtino probauimus pag. 26. Rhetoricæ Eccleſiaſticæ.

II. Prius volumen locorum docentium, ita adornetur, vt ſecundum capita Catecheſeos tituli locorum communium Theologicorum, de quibus populus ſolet doceri, conſignentur, linguâ nimirum vel Latinâ vel vernaculâ.

III. Sub

III. Sub his titulis ſcribantur formulæ, quibus populariter poſſit quodlibet religionis Chriſtianæ caput vernacula lingua proponi, vt & verè doceatur populus & perſpicue.

Magna opus eſt prudentia in docendo populo, quæ præſertim requiritur in iis qui recens ex Academijs ad miniſterium perueniunt. His enim cauendum eſt, ne accuratum illud Logicum & ſcholaſticum docendi genus in ſuggeſtum afferant, ſed ita veritatem doceant, vt captus auditorum popularium (docti enim & literati homines in concionibus non ita ſpectandi ſunt) eam recipere poſſint. Quid enim iuuat multum liquoris affundere ad vas aliquod, ſi per oris angustiam eum recipere nequeat? vt autem id præſtare nouitij miniſtri poſſint, legendi omnino illi ſunt cuilibet in ſua lingua autores eiuſmodi, qui populari ſtylo & docendi formâ, capita religionis præcipua tractarunt: neque enim omnia capita populo ſolent ex æquo proponi, ſed ſunt quædam quæ intra ſcholarum terminos continentur. Prius ergo volumen ita putem adornandum eſſe, vt primo ſimplices tituli capitum religionis conſignentur ſecundum methodum vel Catecheticam, vel eam quam in noſtra tabula delineauimus, vt primus titulus ſit *de Deo*, ſecundus *de verbo Dei*, tertius *de peccato, de lapſu, de pœnis & afflictionibus*, & ſic deinceps: & ſub his titulis formulæ populariter docendi *de Deo, de Trinitate, de Dei verbo*, vel ex autoribus quos legimus, vel ex concionibus quas audimus, vernaculâ linguâ noſtrâ conſcribantur, non admixtis terminis Græcis vel Latinis: vt ita non rebus tantum popularibus, ſed & verbis & phraſibus candidatus miniſterij aſſuefiat. Poſt hos titulos ſimplices conſcribantur tituli earum controuerſiarum, quæ hodie Eccleſiam exercent, & quas vtile eſt noſtri loci Eccleſiam noſſe, & ſub his titulis ſcribantur ea præcipue argumenta, quæ populo ſeruire poſſint, ad hanc controuerſiam dijudicandam. Annotentur ſimul formulæ loquendi de aduerſarijs; ad quas formulas nos aſtringamus, ne quid forte ex ſuggeſtu effutiamus in iſto contentionis ardore quod ſit

&

contra pietatem, deuotionem, grauitatem ministerij & charitatem proximi. Methodus autem controuersorum titulorum pendet à Methodo simplicium titulorum: & possunt tituli controuersiarum vel statim subiungi simplicibus titulis, vel altera voluminis prioris parte, velut quodam intersitio seiungi.

IV. Alterum volumen locorum mouentium, secundum præcipuos affectus, qui pro concione mouenda sunt disponi debent.

Motus affectuum præcipuum est concionatoris artificium: itaque huic rei inprimis incumbendum est illi, qui boni & egregij concionatoris nomen velit adipisci.

V. Primo loco potest constitui titulus de motu pœnitentiæ, qui iterum in suos subtitulos diuidatur.

Primus affectus qui in homine Christiano requiritur, est pœnitentiæ seu contritionis & doloris ob peccata: 1, enim dolendum est nobis, qui ægri sumus antequam gaudere possimus, vnde Iohannes ac Christus conciones suas à motu pœnitentiæ exorsi sunt: Sub titulo autem pœnitentiæ continentur alij subtituli, distinctè itidem consignandi, vt est 1. titulus *exaggerandi peccata.* 2, titulus *exaggerandi iram Dei.* 3, *exaggerandi pœnas temporales & æternas.* 4, *comminandi & mandata diuina exaggerandi*: denique *corripiendi, obiurgandi ac dehortandi.* Hic autem subtitulus hortationis & dehortationis iterum subdiuiditur in tot subtitulos, quot sunt vitia & peccata pugnantia cum decalogo. Ita, exempli gratia, primus titulus obiurgationis erit *obiurgatio idololatrarum:* pòst *obiurgatio eorum, qui aut colunt aut defendunt simulacra & imagines: obiurgatio prophanatorum nominis diuini temerè iurantium, superstitiosis præstigijs vtentium, Sabbathum violantium, immorigerorum, iracundorum, auarorum, mendacium.*

VI. Ab hoc affectu proximè accedatur ad affectum amoris & desiderij sine adhortationis.

Neque enim satis est commotos esse animos ad dolorem

rem & fugam peccatorum, niſi etiam ad virtutes conſtanter amplectendas inſtigentur. Latiſſimè ergo patet hic etiam titulus, qui ita diſponi poteſt, vt præcedens, ſecundum præcepta nimirum Decalogi, vt primus adhortationis ſubtitulus ſit *ad Dei cultum, honorem, amorem:* alter *ad abrogationem & deteſtationem imaginum:* tertius *ad religionem in vſurpando Dei nomine & in iuramento:* quartus *ad inuocationem & preces, ad Sabbathi venerationem, ad obedientiam magiſtratui & parentibus præſtandam, ad manſuetudinem, ad eleemoſynas & reliqua bona opera in ſingulis Decalogi præceptis requiſita.*

VII. Vltimus affectus ſit affectus lætitiæ & conſolationis.

Hic affectus etiam ſubdiuiditur per ſubtitulos, qui præcipui tres ſunt: primus, eſt affectus conſolationis in cruce & afflictionibus; alter eſt, affectus conſolationis in tentatione Diaboli & peccati, vbi peculiaris titulus inſtitui poteſt de erigendis conſcientijs: denique eſt titulus conſolationis in agone & aduerſus mortis acerbitatem, quo referri poteſt affectus deſiderij vitæ æternæ. Atque hæc mihi viſa eſt conueniens locorum Eccleſiaſticorum methodus; ſi quis poſſit commodiorem reperire, equidem non inuidebo, ſed gratias habebo, hoc interim monens miniſterij candidatos; quia concionum vis potiſſimum æſtimari ſolet ab exordijs & perorationibus, adornent ſibi tertium aliquod volumen peculiare, in quo conſignent inſignia exempla pulcherrimorum exordiorum & patheticarum perorationum, quas vel audiuerunt, vel legerunt.

Tantum de Rhetoricis locis: Hiſtorici reſtant: qui ſunt duplices: ſimplices & compoſiti.

Simplices loci Hiſtorici ſunt exempla virtutum, vitiorum, pœnarum & præmiorum: quorum diſpoſitio inſtituenda eſt ſecundum Syſtema Ethicum.

Simplices hos locos propterea voco, quia virtus, vitium, præmia, pœnæ, ſunt termini ſimplices: ideo & horum

rum exempla erunt res ſimplices: exemplum enim eſt individuum ſpeciei ſubiecti.

Porro ordo exemplorum hiſtoricorum poteſt ita, vt diximus, adornari, ſecundum ordinem virtutum & vitiorum in Ethica diſciplina, vel etiam ſecundum ordinem præceptorum Decalogi: quia autem omnis virtus aut vitium eſt vel in conſilio, vel in dicto, vel denique in facto, ideo in omnibus hiſtorijs, vt prudentiſſimè monet Bodinus, horum trium exempla ſunt annotanda. Quoniam vero non tantum Ethicarum rerum, ſed etiam OEconomicarum, Politicarum, & Eccleſiaſticarum exempla extant in Hiſtorijs: ideo OEconomicis quoque, Politicis, & Eccleſiaſticis titulis primum hoc hiſtoricorum locorum volumen meritò adornandum. Quo ordine autem legendæ ſint hiſtoriæ, oſtendit Bodinus in fine Methodi; ſed clarius & magis methodicè Clariſſimus *Peucerus* in tabula illa vtiliſſima, quam poſtremis editionibus *Chronici Philippici* inſeruit.

Loci hiſtorici compoſiti ſunt tituli aphoriſmorum Ethicorum, OEconomicorum, Politicorum & Eccleſiaſticorum, qui ceu concluſiones practicæ ſuis exemplis velut inductione probantur.

Sicut in omnibus diſciplinis ſunt Canones, actionem & operationem illius diſciplinæ gubernantes: ita etiam in Ethica, OEconomica, Politica & Eccleſiaſtica diſciplina inprimis memorabiles ſunt Canones moderantes conſilia noſtra, quæ aliquando in ſalutem Reip. & Eccleſiæ ſunt ſuppeditanda. Tales aphoriſmos & axiomata ſuo Chronico ſapienter inſeruit *Philippus Melanchthon*, & *Peucerus*. Inſeruerunt & hiſtorijs ſuis graviſſimi omnium temporum hiſtorici *Herodotus*, *Xenophon*, *Thucydides*, *Tacitus*, & noſtro æuo præſtantiſſimi illi hiſtorici, *Guicciardinus* & *Comineus*. Et collegit tales aphoriſmos in peculiarem libellum Clariſſimus *Lambertus Danæus*. Prodijt etiam nuper vtiliſſimus labor cuiuſdam *Ritteri Gorlicenſis*, qui collegit axiomata Ethica, Politica, & OEconomica, eaque exemplis & hiſtorijs illuſtrauit.

DE

DE LOCIS COMMVNIBVS IN GENERE; ET IN SPECIE DE HISTORICIS rectè concinnandis, EPISTOLA;

Scripta ad Amplissimum & Spectatissimum Virum Dn. *Gualterum ab Holden*, Inclytæ Reip. Dantiscanæ Senatorem: in qua

Clarissimi viri IOHANNIS BODINI *de Locis communibus Historicis instituendis sententia expenditur.*

AMPLISSIME VIR;

CVM pro tua benevolentia me ad propugnaculum, quo maris ostium Patria nostra munit, non ita pridem duceres, & Vistula vnà veheremur, sermones fallendo itineri habebas varios, indices apud me eximiæ doctrinæ tuæ & multiplicis lectionis, & memoriæ insuper felicissimæ. Aperiebas ibi tum celebratissimam illam, quam vitæ comitem esse volueras, *Iohannis Bodini Methodum Historicam*; ex cuius Capite tertio verba legi iubebas ea, quibus consilium suum exponit de *instituendis communibus, vt vocant, Historiarum locis*; de quibus quid sentirem, & qualiter consilium istud certo quodam fructu vsurpari posse existimarem, ita tum ex me quærebas, vt si minus in itinere sententiam meam prompte

prompte dicere vellem, aut posſem, cogitandi tempus aliquod etiam longiusculum indulgeres. Ego etsi Bodini consilio illud ante considerassem, tamen cũ ob valetudinem grauiorem cogitationes ibi meas satis mihi viderer expedire non posse, moram quam largiebaris, lubenter accepi: Eam, si longiorem exinde traxi, quam vel ipse volebas, vel ego promiseram, veniam mihi despondeo ab eodem affectu tuo, cui sane nunc confisus, iudicium meum dicam apud te, qui historiæ totius peritior, longe de re tota potes & iudicare certius, & disserere prudentius.

Ac principiò quidem id doctorum hominum consensu magno constat, Locos Communes necessarium esse & doctrinæ omnis apparatum, & memoriæ labentis subsidium; sed qualiter ij concinnandi, quâve formâ & Methodo, id vero & olim & nunc à multis anxiè quæritur. Et est sane magna hic consiliorum ac sententiarum apud doctos tum varietas, tum discrepantia, ita, vt non paucos hodie audias excellentes viros, & scriptis etiam publicis clarissimos, qui ita sentiant, Locorum communium concinnandorum certam quandam ac stataṁ viam nullam ostendi posse, sed esse eam operam priuato cuiusque arbitrio & consilio relinquendam. Quam quidem ego opinionem probare propterea nunquam potui, quod Locorum Communium collectio artis opus sit, ars autem certum quid est, & vnum, & constans: arbitrium contra priuatum, & vagum, & varium, & prope infinitum: Aut ergo certa est, & vnica Locorum Communium Methodus, aut non est ea artificiosa & solers opera: si autem artificiosa non est, vtique vel naturæ id opus erit, vel fortuitæ cuiusdam temeritatis, quod neutrum, scio, admittent viri eruditi. Sunt enim Loci Communes nihil aliud, quàm doctrinæ omnis liberalioris velut summa quædam capita & tituli partesque summatim & breuiter designatæ: Quare, vt doctrina omnis Methodo certa & artificiosa constat, ita & Loci Communes, nec alia erit Locorum communium forma & Methodus, quam ipsius doctrinæ, cuius ista sunt capita & tituli. Quæ si vera sunt, vt sanè puto esse verissima, concludo iam inde-

de, & certam de Locis Communibus concinnandis ſententiam velut ex ordine conſignans ita ſtatuò: ſicut non eſt vna quædam communis omnis eruditæ doctrinæ & diſciplinæ Methodus, ſed ſua cuique peculiaris & diſtincta, ita non eſſe inſtituendam communem quandam ac generalem Locorum Communium colligendorum viam atque ordinem; Et eos qui ingentia illa & tricubitalia volumina & Tomos conſuunt, quib. quicquid legunt vel indice alphabetario vel aliquo arbitrario & tumultuario ordine velut in Locos Communes conſcribant, Herculeum quidem laborem ſumere, ſed inanem, ſed talem, quo charta miserè prodigatur, ingenio verò, & iudicio, & memoriæ malè eatur conſultum. Vt enim hortulanus, qui ſpatioſum aliquem & amplum hortum culturus eſt, ſi omnis generis frutices, arbores, herbas, olera inter ſeſe confuſè conſerit, nullis certis ſpacijs, nullis areis diſtinguit, ingentem quidem laborem ſuſtinet, ſed ita, vt nec fructuoſum, nec pulchrum, aut amœnum hortum ſit habiturus; ita etiam illi, qui promiſcuè omnem doctrinam Theologicam, Philoſophicam, Politicam, Hiſtoricam ſub vnâ Locorum Communium Methodum confuſe congerunt, non proſunt ingenio & memoriæ, qui eſſe debebat talis operæ finis; ſed vehementer nocent vtrique. Qui n. dextrum & regulatum iudicium ibi eſſe poſſit, vbi eſt confuſio doctrinarum? Qui queat memoria iuuari & firmari, vbi nulla eſt antecedentium & conſequentium connexio? vbi vel planè non ſis reperturus, vel reperturus difficulter & egrè quod in memoriæ ſubſidium connotaras. Vt, n. omnis ordo bonum quid eſt, & conſtans, & certum, & vtile; ita confuſio malum quid, & incertum, & inutile, imo noxium. Vnde iam id porrò conficitur; Locos Communes ita diſtinguendos eſſe, vt ſingulis diſciplinis ſingulare Locorum Volumen attribuamus, & iuxta ſpecialem cuiuſque diſciplinæ Methodum Capita & titulos eodem ordine diſponamus, quo ipſa ipſa diſciplina dextrè docetur & diſcitur. Sic nempe Theologia ſuos habebit diſtinctos Locos, habebit Iuriſprudentia, habebit Medicina; quia harum, vt vocant, Facultatum quæuis vnicam ſuam habet

bet omnium materiarum Methodum; Philoſophia vero tot habebit Locorum volumina, quot in ſe diſciplinas, & diſciplinarum Methodos ſiue Syſtemata complectitur: diſtinguentur loci Phyſici à Mathematicis, prout hæ ipſæ inter ſe diſciplinæ diſtinctæ ſunt, & ſecernuntur loci Ethici ab OEconomicis & Politicis. Grammatica quoque, Rhetorica, Poëtica, & Logica, tanquam ſuperiorum facultatum & Philoſophiæ inſtrumenta, ſuos habebunt peculiares locos, eadem nimirum Methodo diſpoſitos, qua illæ ipſæ artes traduntur.

Qui ita Locos communes inſtituunt, vti & iudicium dextrè de Materijs informabunt, & ſcientia, quorſum propriè & per ſe atque ex natura ipſa quidlibet pertineat, ſic & memoriam & recordationem mirificè iuuabũt concinno illo, atque vtro ſe dante antecedentium & conſequentium nexu, & reperient facillime, quod longo ante tempore in Locos Communes deſcripſerant.

At vero, excipiet aliquis, ſi ita Locorum Communium diſpoſitio dirigenda ſit ad Methodum trium ſuperiorum facultatum & Philoſophiæ, quorſum conſignanda fuerint ea, quæ ad manuarias artes, quæ ad agriculturam, ad architectonicam, ad mercaturam pertinent? quorſum ea quæ de piſtoribus, de coquis, de fabris paſſim in authorum ſcriptis leguntur? Eſt & de talibus expeditum conſilium; Nam primo pauca admodum ſunt, quæ trium facultatum & Philoſophiæ Studioſi de eiuſmodi rebus cupiunt annotare; eaque tantum communiſſima & generaliſſima, quæ ſane ad titulos diſciplinarum ſine vlla Methodi perturbatione poſſunt referri: *Agricultura* enim titulus, qui primus nominabatur, ad OEconomicam diſciplinam commodiſſimè refertur, vtpote in qua modi acquirendæ rei familiaris traduntur, & patrifamilias commendantur diligenter ab Ariſtotele, qui in priore ſtatim libro OEconomicæ ſuæ de agricultura, deque paſtoritia tractat; Idem de Mercatura ſtatuendum, quæ & ipſa ad eam OEconomicę partem rectiſſimè refertur, quamuis & in Politica diſciplina ei locus poſſit dari, quatenus eſt medium amplificandæ & ditandæ Reipub. cum primis neceſſarium. *Piſtoria*

&

& *Coquinaria* titulus itidem ad OEconomiam referetur sine vlla difficultate, quod etiam factum ab ijs est, qui libros OEconomicos hac ætate ediderunt, *Architectonica* partim ad Mathematicas disciplinas referri potest, partim ad Politicam, vtpote in qua de condendis vrbibus, palatijs, arcibus quoque pertractatur: *Nautica* verò, si quę legentur, partim sub titulo mercaturæ consignari possunt, partim verò ad eam Politicæ partem notabuntur, quæ de bello eiusque instrumentis tractat; nauium enim hic geminus finis est, vt vel mercaturæ seruiant, vel militiæ. Quod si verò quis generalissimis illis, quæ sola viri docti annotare, vt plurimum solent, non velit aut possit esse contentus, seque ijs artibus ex professo dedat, & cupiat esse vel agricola, & hortulanus, vel architectus, vel mercator, ei quidem rectius cõsuli non potest, quam v. singulare quoddam Locorum Communium Volumen destinet isti arti, quam vult tractare; exempli gratia, agriculturæ aut mercaturæ, atque ita planè, vt diximus, faciendum esse in superioribus facultatibus & in philosophia, certam artis Methodum constituat, secundum quam summa eius capita & titulos materiarum per Locos Communes disponat.

Quibus quidem ita præmissis, non difficulter existimo, statuetur de Locis Historicis, in quibus colligendis id ante omnia considerandum fuerit, *Historiam nihil esse aliud, quam narrationem Exemplorum, quæ nimirum certo loco & tempore & à certis euenerunt*, siue, vt Verrius Flaccus definiuit, *diffusam narrationem, in qua rerum, personarum, ac locorum momenta ponderantur.* Exempla autem nihil sunt aliud, quam generalis doctrinæ & regularum vniuersalium specialia symbola. Quare cum doctrina & regulæ non vnius sint generis, non vnius formæ aut Methodi, sicut ante ostendebamus, totidem erunt exemplorum diuersa genera & classes, quot sunt disciplinæ, quibus omnis diuina & humana doctrina methodicè explicatur. Vnde iam non difficulter intelligitur id, cuius gratia hæc nobis tota de Locis Communibus suscepta quæstio, qualiter nimirum in Historijs adornandi sint Loci Communes,

Ita nimirum, vt ſingulis diſciplinis ſingula deſignentur Exemplorum hiſtoricorum volumina, quibus tituli Hiſtorici deſcribantur ſecundum iſtius diſciplinæ Methodum. Itaque primum *Volumen Hiſtoricum* erit *Theologicum*, in quo ſecundum Methodum eam, qua ipſa Theologia dextrè traditur, Capita notentur, & indices materiarum & Regularum Theologicarum, ad quas Hiſtoriæ ſacræ ſiue Eccleſiaſticæ exempla ordine referantur. In *Iuriſconſulto* idem faciet Iuriſconſultus; In *Medicina* Medicus, qui ſecundum ſuæ facultatis Methodum ſpeciales caſus & exempla notabit. Faciet idem *Philoſophus*, qui tot conſtituit Locorum Communium Volumina, quot Philoſophiæ ambitu diſciplinæ continentur, exceptis quibuſdam Metaphyſicę: & Mathematicæ Capitibus, quæ eiuſmodi Hiſtoricorum Exemplorum capacia non ſunt.

Quod ſi autem ſtrictè magis ac propriè Hiſtoriam ſumere velimus, referenda ea fuerit potiſſimum ad diſciplinas, quas vocant, *Practicas*, in quibus nimirum de virtutibus & vitijs regulæ traduntur; Virtutes autem ſunt vel Theologicæ, ſiue Eccleſiaſticæ, vel Ethicæ, vel OEconomicæ, vel denique Politicæ. Et ij ſanè, qui hodiè honorificum illud Hiſtoricum nomen obtinent, tribus poſtremis iſtis, Ethicis, OEconomicis & Politicis exemplis inprimis ſunt dediti; & Politicis quidem ante omnia, vtpote, quorum maximus eſt, & præclarus ac conſpicuus quidam in vita humana vſus, apud eos præſertim, qui in Reipublicæ luce verſantur, verumque ſceptra ac clauum tenent. Hi quantum iudicare poſſum, ita cum fructu in Hiſtorijs tum legendis, tum per Locos Communes digerendis occupabuntur, ſi ante omnia diſciplinæ Politicæ Syſtema dextrum habeant, in quo exactâ quadam ac regulata Methodo præcepta & Regulæ Politicæ diſponantur. Huius deinde Syſtematis ſiue Methodi Politicæ ſumma Capita excerpant, & vno vel duobus Voluminibus conſignent, eodem planè ordine, quo præcepta ipſa in diſciplina ante tradebantur; Ita quicquid in Hiſtorijs Politicum legent, adminiculo iſtius Methodi facilè diſcernent

ſcernent ab Exemplis aliarum diſciplinarum, nempe Theologicis, Iuridicis, Medicis, Ethicis, OEconomicis, Phyſicis. hæc enim omnia tot diſciplinarum diuerſarum exempla in vnica narratione hiſtorica ſæpiſſimè coniunguntur. Quod quia plerique non ſatis animaduertunt, aut diſtinguunt, atque adeo id agunt, vt quicquid vſibi in Hiſtorijs legunt, id omne ſine diſcrimine ad vnum aliquod genus Locorum Communium referant, dici non poteſt quam ſeiè macerent inaniter, quam iudicium ſimul ſuum ac memoriam confundant, & Siſyphi illud inutile ſaxum voluant miſeri, ac reuoluant. Secus accidet ei, qui diſciplinæ Politicæ certâ ac dextera Methodo conſtituta ad Locos Hiſtoricos colligendos accingitur; Nam qui Methodum nouit cuiuſque doctrinæ, is formam nouit; qui hanc nouit, iam dilucidè iudicare poteſt, quid ſit cuiuſque diſciplinæ proprium, quid alienum: forma enim ſuum cuique tribuit, vt diſtinctionis mater, ſic inimica confuſionis. At verò, quæ ſit iſta accurata & regulata Prudentiæ Politicæ Methodus, id vero huius loci non eſt exponere; poteſt ea non difficulter conſtitui ex diuino Ariſtotelis Politicorum opere, quod ſuo loco & tempore, volente Deo, auditoribus noſtris pro officij ratione declarabimus.

Nunc id intelligo mihi ſupereſſe, vt conſilium illud expendam, quod de Locis Hiſtoricorum rectè inſtituendis Clariſſimus autor *Iohannes Bodinus* habet tertio capite Methodi Hiſtoricæ: quod ſinè opus doctorum omnium iudicio eximium eſt, planeque dignum eo viro, in quo rara iſta copula ſint exacti perſpicuique iudicij, & memoriæ penitus fidelis, ſibique in tanta rerum & autorum, quos citat, varietate plerumque conſtantis. Sed vt nihil in rebus humanis per omnia purum eſt, & integrum, ita & hic nævos reperias non paucos acriori aliqua animaduerſione caſtigandos, non à me quidem, ſed à tali aliquo viro, qui iudicio & ingenio aut par ſit Bodino, aut certè non multo inferior. Vt enim de excellentis pictoris artificio idoneè iudicare non

poteſt, niſi qui & ipſe in ea arte excellat, ita & de ſapientis ingenij operibus iudicium ferre non debet, niſi ſapiens. Quia tu tamen (Vir Ampliſſime) id à me inſtanter requiris, cui vt denegare ob autoritatem nihil debeo, ita per obſeruantiam non poſſum, dicam ſanè, quod ſentio, ea iudicij libertate vſus, quæ & decet profeſſionem meam, & quam ſcio te per naturam amare.

Ceterum Bodinus poſt multam & variam Actionum humanarum diſtributionem ſui de Communibus Hiſtoriarum locis inſtituendis conſilij ſummam complectitur, atque ita ordine præcepit, *primo quidem, vt tribus omnino libris Loci Communes diſtinguantur; quorum priori humanæ, altero naturales, tertio diuinæ hiſtoriæ conſignentur.* At verò quam iſte vaſtus, & grandis, & ad quotidianum vſum intractabilis liber futurus eſt, quo vno omnes rerum humanarum tituli, & ſub titulis hiſtoriæ deſcribentur? Non exiſtimarim ſanè autorem id, quod alijs dat conſilij in ſuis rerum humanarum communibus locis ſecutum eſſe, vt iſtos titulos tam multos tamque latè patentes vno volumine conſcriberet. Et ſi ita ſanè, conſuatur aliquod tam ponderoſum & grande titulorum volumen, quis quæſo futurus eſt eius fructus? quæ forma aut ſpecies? Diſponi in eo volumine titulos vult Bodinus, ſecundum tria actionum humanarum genera; quorum primum ſit earum, ſine quibus planè vitæ non poteſt, alterum ſine quibus commodè non poteſt, tertium denique, ſine quibus nec ſplendidè, nec iucundè vitæ vitur. Suppartitur deinceps tria iſta actionum genera in ſuas ſpecies, & ſpeciebus addit actionum tum Subiecta, tum Obiecta, & Effecta; ingeniosè quidem & acutè, ſed parum (ſi quid iudicare poſſum) fructuosè, & ad dextri inſtituti finem accommodatè, vt ſi quis eam delineationem in conſignandis Communibus rerum humanarum locis ſequi velit, is neceſſario tum imperfectos & mutilos, & iſta mutilatione deformiter confuſos ac perturbatos Locos ſit habiturus. His (inquit Bodinus) generibus actiones humanæ continentur, ſi quæ reſtant, ad ea referri facilè poſſunt. Non diffitetur, quod multa reſtent, ſed

ſed ea putat ad iſta tria actionum genera referri poſſe. At verò cum decem ſint diſtincta ac diuerſa rerum genera, Subſtantiæ videlicet, Quantitates, Qualitates, Actiones, Paſſiones, Relationes, Quando, Vbi, Situs, & Habitus; impoſſibile eſt nouem genera contineri vnico illo, quod ordine quartum eſt: Et ſi fortè nouem rerum humanarum genera ad vnum illud Actionis violenter trahantur, ingens inde ſanè rerum omnium confuſio & perturbatio ſequetur, non minus ac ſi quis ligna in penum, quod Prouerbio dicitur, ſatagat inculcare. Neque enim vlla eſt Methodus, vllus ordo verus ac dexter, quo omnia actionum humanarum genera poſſint diſponi, & neceſſariò in eiuſmodi communibus locis diſciplinæ liberales inter ſeſe, & liberales cum illiberalibus, & denique ipſæ etiam illiberales ac manuariæ artes inter ſeſe miſcrè permiſcebuntur, nulla erit certa & diſtincta ac plena materiarum in vlla humana diſciplinâ & arte Methodus, ponetur modo titulus Politicus, ſequitur deinde Ethicus, Ethicum excipiet aliquis mechanicus aut manuariæ artis.

Quæ ſanè diſciplinarum & artium omnium humanarum, adeoque etiam rerum & materiarum confuſio, & iudicio ſimul ac memoriæ vehementer obeſt, atque adeo à Locorum Communium inſtituto & fine penitus eſt aliena. Neque verò diſciplinarum tantum diſtinctio & Methodus iſta delineatione violatur, ſed & is ipſe ordo non ſeruatur, quem ſibi peculiarem Bodinus præſcripſerat ſecundum tria actionum humanarum genera; inter quæ cum primum eſſe dixerat id quo continentur actiones, ſine quibus planè viui non poteſt, ipſe primo ſtatim loco collocat titulum de Nobilitate, ſine qua ſanè viui poteſt, & viui etiam commodè. Sequuntur deinceps tituli de Vita & Morte, de Gloria & Infamia, de Corporis forma, & eiuſmodi alij, qui ad tria iſta actionum humanarum genera violenter admodum reducuntur: Methodus autem & ordo ea tantum amplectitur, quæ cuique rei naturalia, atque expedita & propria ſunt, violentum omne, & aſperum, ac tortuoſum repudiat. Atq; hoc erit conſi-

lium de primo Volumine Locorum Communium, quo rerum humanarum titulos iubet Bodinus comprehendere: Libro ſecundo Rerum naturalium Hiſtorias vult comprehendi; Quod quidem Conſilium de Locis Communibus Phyſicis multo eſt, & dexterius, & fructuoſius, optarimque idem iudicium in humanarum, quas vocat, rerum Locis inſtituendis adhibuiſſet vir magnus, & diſciplinas diſtinxiſſet, & cuique arti ſuas materias Methodicè aſſignaſſet. Quamuis & hoc ipſum de Naturalis Hiſtoriæ locis conſilium, confuſionis expers penitus non ſit, propterea quod Loci Phyſici cum Aſtronomicis & Geographicis confundantur; cum tamen iſtæ ſint Scientiæ à ſe inuicem ita diſtinctæ, vt quælibet ſuos habeat limites, ſuoſque terminos ac Methodum peculiarem. Addit mox conſilium de libr. tertio, cui rerum diuinarum locos attribuit, in quo quidem id deſidero, quod dextram Theologiæ Methodum non deſcribit, & quod primum in his locum tribuat Menti humanæ; perinde ac ſi ab hominis anima Theologia ordienda, aut materia iſta de anima Theologiæ ſit propria, quam tamen Bodinus *animam* diſerte vocat *rerum naturalium culmen*: quod ſi ita eſt, ad ſecundum vtique, non tertium librum titulus iſte pertinebit. Atque hæc quidem eſt ea, quam Iohannes Bodinus præſcribit Locorum Hiſtoricorum inſtituendorum ratio ac via, quam ille deinceps ab Hiſtoriarum ſtudioſo ita teneri vult, vt Loci Hiſtorici reuocentur ad tria iſta, quæ primo omnium deſignarat, generaliſſima Politicæ Prudentiæ Capita, *Conſilium*, *Dictum*, *Factum*. His locis, inquit, in capite cuiuſque libri hoc ordine, aut vt cuique commodius videbitur, contributis, conſequens erit, vt quicquid in hiſtoriarum lectione memoratu dignum occurret, ſuo loco inſeramus, & in margine libri rerum humanarum notas adijciamus, Conſiliorum, Dictorum, & Factorum (ſic enim res ipſæ ad actiones commodiſſimè referentur) idque literis maioribus. deinde videndum erit, quid in ſingulis honeſtum, turpe, aut adiaphorum ſit, & eo modo notandum, C. H. id eſt, *Conſilium Honeſtum*, C. T. V. *Conſilium turpe vtile*. Conſilium a, dictorum & factorum

ctorum fundamentum quoddam eſt, &c. Suadet ergo Bodinus, primo, vt integræ hiſtoriæ deſcribantur in Locos Communes, eo ordine, quem ante delinearat, vel prout cuique commodius videbitur. Quod quidem poſterius dum addit, videtur ſane diffidere ſuo de adornandis Locis Communibus conſilio, quaſi videlicet aut incertum hoc ſit, & inconſtans, aut tale, quo rectius aliquod & dexterius poſſit ab alijs inueniri. Quod vero præcipit, Hiſtorijs memoratu dignas iſto Locorum Communium libro tranſcribendas eſſe, id ſane aut breuiter & magno quodam compendio faciendum fuerit, aut ſane grauis & permoleſtus iſte labor futurus eſt, imo & inutilis apud eos, qui vel mediocri quadam hiſtorica Bibliotheca ſunt inſtructi; quibus id potius conſuluerim, vt in Locos Communes breuibus quibuſdam notis ſummam tantum hiſtoriarum conſignent, annotato autore eiuſque libro, & capite, & pagina. Quod ſi vero vel rarus ſit autor, quem habere non facile poſſis, vel ita carus, vt emere non valeas, tum demum integra hiſtoria, retentis exactè autoris propter fidem & autoritatem verbis, fuerit in Locos Communes deſcribenda. Suadet deinceps Bodinus, vt in margine eius libri, qui Locos Communes continet, ſic enim eius verba intelligo, notas adijciamus Conſiliorum, Dictorum, Factorum, ita quidem, vt honeſta à turpibus, & adiaphoris ſiue medijs, & vtilia ab inutilibus diſcernantur, per iſtas maiorum literarum initialium notas. Quod ſane de notandis, atque excerpendis in lectione Hiſtoriarum Conſilijs præceptum inprimis vtile eſt & neceſſarium ijs, qui Rempub. aliquando ſunt gubernaturi; Eſt enim conſilium res, vt veteres locuti ſunt, plane ſacra, & talis, in qua omne tum recte inſtituendæ tum feliciter gubernandæ Reip. momentum conſtitutum eſt, &, vt veriſſime Bodin. hoc loco ſcribit, dictorum & factorum fundamentum. Notanda ergo inprimis diligenter & accurate conſilia ſunt in communibus Hiſtoriarum locis: Sed an iſta, quam Bodinus præſcribit, notandi ratio vtilis & fructuoſa eſſe poſſit, id vero eſt, de quo valde dubito; ſi, n. confuſa & perturbata ea omnis notatio futura eſt; quia nimirum

ipſi Loci Communes, ad quorum marginem iſtæ conſiliorum, dictorum, & factorum notæ ſunt referendæ, plurimum confuſionis habent, vt paulo ante oſtendimus. Deinde ita eſt generalis iſta Conſilij honeſti, turpis, medij, vtilis, inutilis diſtinctio, vt Politico viro, & boni publici conſiliario parum videatur profutura; In Conſilio enim inueniendo & promendo neutiquam ſufficit communis illa honeſti, turpis, vtilis atque inutilis notio, ſed opus eſt ſpeciali quadam prudentia, & diſcreti iudicij circumſpectione in diſpiciendis circumſtantijs temporum, perſonarum, locorum & rerum, vt concludere ſalutariter poſſis, & an faciendum ſit, & quid ſit, & per quos, apud quos, quo loco, quo tempore, per quæ adminicula. Quare, ſi quod meum eſt in his rebus iudicium, ita faciendum exiſtimo, vt primo omnium is, qui Locos Communes hiſtoricos colligit, diſcernat res eas, quæ in conſultationem cadunt, ab iis, quæ non cadunt: Neque enim omnia ſub conſultationem trahuntur, ſunt plurima neceſſaria, plurima certa & conſtituta, de quibus nemo deliberat, niſi qui ſit à ratione alienus: Quocirca in Phyſicis, Mathematicis conſilia non annotantur, annotantur tamen in ea Theologię parte, quæ eſt de adminiſtranda Eccleſia, In Medicina conſultationes ſunt de valetudine conſeruanda & recuperanda: In Iuriſprudentia de iure perſequendo & obtinendo; In Ethicis pauca tractantur conſilia, plura in OEconomicis, ſed plurima, eaque varia ſimul & grauiſſima in Politica diſciplina, ad quam Logicos Communes Hiſtoricos præcipue referendos eſſe ſupra diximus.

Notabuntur ergo Conſilia, eadem planè Methodo, qua Locos Communes adornandos ſuaſimus ſecundum cuiuſque diſciplinæ diſtinctè diſpoſita Capita, ita vt ſicut res ipſæ, & ea, quæ de rebus argute dicta ſunt, ita quoque conſilia theologica, iuridica, medica, ethica, œconomica, politica peculiarib. Locorum Communium Voluminibus diſtinguantur, & ſub ipſarum rerum, quæ in conſultationem cadere poſſunt, titulis conſilia ipſa ſcribantur, aſſignatis ad eam notationem peculiaribus

peculiaribus paginis, ad appicta ad marginem aliqua deſcripti conſilij nota. Et quia Conſilia in Politicis maximè dominantur, ideo Volumen Politicorum Locorum conſilijs vndique replere debet, eo nimirum ordine, & eadem plane Methodo, qua rerum ipſarum Capita in locis Communibus deſcripta ſunt, exempli cauſſa, ſub titulo condendarum vrbium conſilia eorum, qui vrbes condiderunt: Similiter ſub titulo de eligendo magiſtratu, de compeſcendis ſeditionibus, de vectigalibus imponendis de condendis arcibus, de indicendo bello, de ſcribendo milite, & eiuſmodi alijs. Neque vero ea tantum conſilia à Politices ſtudioſo notanda fuerint, quæ diſertis verbis ab Hiſtorico narrantur, ſed vtile omnino & ſalutare fuerit exercitium ingenij, & iudicij Politici, ſi ex ipſis Hiſtoriarum euentis ingenioſa reſolutione facta, excogitentur, & inquirantur conſilia, vnde tales euentus, quales exponuntur, extiterint; quæ ipſa quoque conſilia in Locis Communibus notentur, vt ſi forte ſimiles euentus aliquando in Rep. vel optentur, vel metuantur, ſimilia conſilia aut promi poſſint, aut caueri. Iſta ſunt (Vir ampliſſime) quæ meditatus hoc tempore ſum de quæſtione graui opinor, atque vtili. Vbi quidem, ſi prolixior fui, argumenti ipſius amplitudinem ſecutus ſum, & ductum eius autoris, cuius de inſtituendis Locis Communibus Hiſtoricis conſilium altiori aliqua indagine nobis fuit tua voluntate veſtigandum. Dabam Dantiſci è Muſeo meo, XXII. Septemb. An° MDCIII.

Ampliſſimæ dignitatis tuæ obſeruantiſſ.

BARTHOLOMÆVS KECKERMANNVS.

CAPVT

CAPVT VLTIMVM LIBRI SECVNDI,

De Imitatione.

FVerunt tria bene discendi media: restat quartum & vltimum, nimirum, Imitatio, *qua est discentis conformatio ad imaginem alicuius egregij Doctoris.*

Rectissime dixit Flaccius Albinius, *Fructus legendi is est, vt amuleris, quæ in alijs probas, & quæ maxime in aliorum dictis mireris, in vsum tuum opportuna derivatione conuertas.*

Est autem imitatio vel Grammatica, vel Rhetorica, vel Logica.

Grammatica imitatio est circa dictiones & φράσεις.

De hac imitatione non est necesse monere, cum multi præstantes viri, vt *Erasmus Roterodamus, L. Viues*, aliiqs multi nostra etiam ætate de hoc imitationis genere prolixe scripserint.

Rhetorica imitatio præcipue est in amplificando & exornando.

Huius Canon is est:

Imitatio Rhetorica ex locis communibus Rhetoricis optimè discitur & instituitur.

Quando enim autorum loca ad docendum, aut monendum pertinentia, per certos titulos digessimus, tum si quid scribendum erit aut dicendum, imitationem facilime secundum istos titulos licebit instituere.

Logica imitatio est, quando intellectum nostrum conformamus ad intellectum & iudicium præstantissimorum ingeniorum, in tractando themate simplici & coniuncto.

Imitatio

Imitatio Logica omnium eſt difficillima, cum ad ipſa intima humani ingenij penetret, & requirat ſimilitudinem iudicij in inquirendis rerum generibus, cauſſis, definitionibus; proprietatibus, itemque in inueniendis mediis terminis, probanda concluſione, in ſoluendis obiectionibus, & denique methodica diſciplinarum aut theniatum diſpoſitione. Vt autem talem imitationem feliciter ingrediamur, opus eſt tum auditione, tum lectione præſtantium ingeniorum: & auditus quidem vt firmius virtutes docentis imprimit, ita efficaciorem cauſſatur imitationem: Lectio vero ſi imitationem debeat felicem efficere, iterata ſit & crebra: exempli gratia: in Philoſophia ſæpe legendus & voluendus eſt Ariſtoteles, vt eius diuinum acumen in inueſtigandis rerum cauſis, in probandis concluſionibus, & aduerſarijs refutandis feliciter exprimere poſſimus. In Theologia diligenter voluendus eſt Auguſtinus, ſi rerum Theologicarum naturas & proprietates, itemque diſputationes, quas habet cum Pelagianis & cum Donatiſtis velimus feliciter imitari in Syſtemate Theologico adornando, & inſtituendis diſputationibus cum Pontificijs atque Anabaptiſtis, quorum illi Pelagianis, hi vero Donatiſtis ſunt perſimiles.

FINIS LIBRI SECVNDI GYMNASII LOGICI.

GYMNA-

GYMNASII LOGICI

LIBER TERTIVS,

DE RECOGNITIONE Tractatorum, siue de Analysi.

CAPVT I.

De Analysi Simplici.

Fuit pars prior exercitationis Logicæ, de Tractatione nimirum, siue de Genesi: Restat pars altera de tractatorum recognitione, siue de Analysi.

Est autem Analysis exercitatio Logica, quâ recognoscuntur artificia, per quæ tractatio alicuius rei fuit instituta.

ΑΝΑΛΥΕΙΝ Græcis est quasi retexere telam ante pertextâ, sicut legimus de Penelope, quæ vt tempus simul procos falleret, telam interdiu textam noctu retexebat seu dissoluebat. Quamuis nonnulli Græci ἀναλύεσθαι dicant idem esse ac ex peregrinatione domum reuerti: sed prior significatio instituto nostro est accommodatior, quia denotat considerationem quandam ex iudicio profectam, qua artificia in texendo themate adhibita, velut euoluuntur retexendo

texendo. Atque in eo ars Logica diſſimilis videtur reliquis artibus: vtpote quæ tantum in conficiendo opere potiſſimum ſunt occupatæ, cum contra Logica non tantum nos doceat opus aliquod conficere, ſed ab alio etiam confectum artificioſe diſſoluere.

Canones generales Reſolutionis ſunt duo:

I. Omnis reſolutio intelligitur ex conſtructione: nam quibus artificijs quidlibet conſtruitur, iiſdem etiam reſoluitur,

Nemo poteſt concinne telam aliquam retexere, niſi eius texendę rationem nouerit: ita etiam impoſſibile eſt autores reſoluere, niſi prius perſpecta ſint & cognita artificia illa, per quę autores ſuũ opus conſtruxerunt: vnde fit quod omne à quoquã autore tractatũ opus, poſſit per alium ab autore diuerſum lectorem reſolui: quia ſcilicet ars vna eſt conſtruendi & retexendi: vtcunque varia ſint conſtruentium & reſoluentium genera.

II. Omnis Analyſis conſiſtit in duobus: primo, in cognitione rei vel operis reſoluendi: ſecundo, in expenſione modi ſiue artificij, quo opus illud conſtructum eſt.

Eſt autem Analyſis vel Grammatica, vel Rhetorica, vel denique Logica.

Hæ enim ſunt tres artes inſtrumentales, quæ organa & artificia nobis ſuppeditant, quibus mediantibus quælibet res tractatur & docetur: itaque abſurdum eſt quærere aliquam Analyſin Ethicam, Phyſicam, Politicam, Theologicam. Hæ enim diſciplinæ non tradunt τὴν μεθοδικὴν ſeu modum tractandarum rerum, ſed ipſas res, quibus modus velut forma quædam externa accedit, ab hiſce tribus inſtrumentalibus diſciplinis profectã.

Grammatica reſolutio eſt, quæ vocem ſimplicem aut coniunctam quoad formationem & congruam connexionem expendit, diſcendæ alicuius linguæ gratiã.

Grammati-

Grammatica resoluuo plane non pertinet ad res ipsas, nisi quatenus verba sunt signa rerum: alias id tantum spectatur, vt formatio vocum simplicium, aut syntaxis earundem in autore aliquo intelligi possit: quidquid de rebus ipsis fiat: idcirco de hoc genere resolutionis non necesse est hoc loco docere: quia ex Grammaticæ artis traditione facile intelligitur.

Rhetorica resolutio est, qua artificia amplificationum & exornationum in oratione aliqua, aut alio quouis scripto examinantur.

Vt magna est affinitas inter Logicam & Rhetoricam, ita etiam in plerisque autorum scriptis, harum duarum artium instrumenta fere semper concurrunt: sic, vt necesse sit studiosos vtriusque artis præcepta perpetuo coniungere, ita tamen, vt caute discernant, quodnã tractationis artificium ex Rhetorica, quodnam ex Logica sit adhibitum.

Quia vero libro præcedenti tractationem Rhetoricam docere nec potuimus nec debuimus, ideo hoc libro Resolutionem Rhetoricam non trademus, sed ita tamen rem totam temperabimus, vt in exemplis, quæ daturi sumus, facile quis perspecturus sit Resolutionis Rhetoricæ artificia.

Resolutio Logica est, qua expenduntur artificia explicationis, probationis, & ordinationis seu methodi: quæ ab authore in opere conficiendo sunt adhibita.

Est autem resolutio hæc vel separata, vel combinata.

Sicuti tractatio duplex fuit, ita etiam Resolutionem, quæ tota à tractatione pendet, geminam esse necesse est, vt nimirum alterum ex altero possit idoneè cognosci & intelligi, sicut omnia relata per se mutuo cognoscuntur.

Separata resolutio est, qua expenditur separatim tractatio vnici thematis.

Est ea, vel simplicis thematis, vel coniuncti.

Reso-

Resolutio simplicis Thematis est, qua recognoscuntur artificia in tractatione simplici adhibita.

Huius Canones sunt hi:

I. Ante omnia ipsum thema ex textu eruatur, tanquam scilicet totius Resolutionis obiectum & scopus.

Duo circa hunc Canonem monebo valde necessaria: primum est, ne cum multis, imo pluribus resolutionibus existimemus, in omni textu resoluendo propositionem aliquam autoris esse quærendã si dicerent propositum esse quærendum & principium esse constituẽdum, equidem assentirer: quia ita iam inualuit, vt propositum dicatur omne thema siue simplex siue coniunctum. sed cum dicunt in omni textu primo propositionem autoris esse quærendam, produnt in eo ignorantiam non exiguam, quia cum plurimi textus autorum sint thematum simplicium tractationes, & vero thema seu terminus simplex, propositio malè appelletur, idcirco etiam malè dicitur in omni textu propositionem primo loco quæri debere: Cum contrà dicendum sit, in omni textu vel terminum simplicem, vel propositionem autoris, loco principij constitui oportere. Alterum quod hic monendum est, spectat distinctionem thematis ab autore tractati, & terminorum per quos tractatio instituta est: sæpe enim id accidere videmus, vt quia autor prolixius immoratur amplificationi alicuius instrumenti siue termini, quo primarium thema explicatur; idcirco resolutores illum terminum arripiant pro themate ipso, quod ne fiat à nobis etiam, conferendi sunt omnes termini tractationis inter sese, etsi cõpertum fuerit eos omnes concurrere ad naturam alicuius thematis in textu explicãdam, illud thema pro principali totius resolutionis obiecto & scopo constituamus: vt in Psalmo 1. posset aliquis existimare explicari thema vel legis diuinæ & vtilitatis eius, vel etiam thema impiorum: sed quia tum legis diuinæ, tum impiorum mentio inducitur ad explicandam naturam viri beati

beati, ideo *Vir beatus* erit thema Psalmi: aliud exemplum paulo post habebimus ex cap. 20. Numerorum.

II. Cogitetur diligenter an thema sit perfectum an imperfectum, an singulare an vniuersale: hinc enim pendet accommodatio terminorum, qui in quolibet themate tractando adhiberi possunt.

Superiori libro diligenter de eo monuimus, quomodo non omne thema ijsdem terminis Logicis & æquè perfectè possit explicari ac tractari, sed esse aliam rationem tractandi thema vniuersile, aliam vero in explicando singulari, aliam in eo themate, quod directè collocatur in prædicamentis, & diuersam in eo, quod indirectè collocatur: ista præcepta hoc loco diligenter repetenda sunt, vt post thematis ex textu aliquo constitutionem, statim cogites, sit ne perfectum, an imperfectum thema illud, quod auctor tractauit: sic enim rectè demum tuam resolutionem ad ipsam thematis naturam, autorisque mentem & tractationem accommodabis.

III. Cogitandum etiam est ad quamnam disciplinam thema propositi textus pertineat.

Hæc quoque cogitatio magnam afferet resolutioni lucem, si sciat an thema quod in autore offendit, sit Theologicum, an Medicum, an Philosophicum, Ethicum, aut Politicũ: poterit. n. ex cuiusque disciplinæ principijs tanto rectius iudicare, qualiter thema ab autore sit tractatum: quin etiam si resolutioni volet addere vberiorem explicationem aut applicationem, poterit iuuari per eam disciplinam, ad quam propositum thema pertinet.

IV. Quia raro sit, vt autores thema aliquod plenè per omnia instrumenta primæ partis Logicæ explicent, ideo in resoluendo animus tantum est adijciendus ad certa quædam instrumenta, per quæ autor suum thema tractauit.

Quia in resolutione non plus esse debet aut potest, quam fuit in tractatione, ideo non de omnibus terminis,

nis, per quos thema ſimplex explicari poteſt, in quolibet textu cogitandum eſt, ſed videndum, quoſnam & quot terminos autor adhibuerit, & ij tantum in reſolutione ſunt nominandi, non plures nec pauciores. Ad explicationem enim illud pertinet, non ad reſolutionem, eos terminos quos autor omiſit, ad thematis naturam plene explicandam addere.

V. Amplificationes diligenter ſeiungantur à thematis explicatione per ſuos terminos inſtituta.

Non tantum ad coniuncta themata, ſed etiam ad ſimplicia ſolent adhiberi ab autoribus amplificationes ſiue exaggerationes: Itaque cum hæ ad Rhetoricam pertineant, Rhetorica etiam non Logica reſolutione egebunt, quamuis, vt ante monui, Rhetorica & Logica reſolutio in omnibus penè textibus autorum neceſſariò coniungenda ſit.

VI. Termini; per quos thema ab autore tractatur, ex canonibus primæ partis Logicæ indicentur, an nimirum ſit genus, an cauſa, proprietas, effectus.

Sicuti calceus non venditur cum crepida, ita etiam autores non ſolent indicare terminos ſiue notiones Logicas, per quas ſuum thema tractarunt, ſed rem ipſam ſimpliciter dicere, id eſt, notionem primam per notiones primas tractare: itaque reſolutoris erit notiones iſtas primas ad ſecundas reuocare, & indicare quænam ſit genus, quæ cauſa, aut effectus.

Sed iam exempla reſolutionis ſimplicis ſubijciamus petita è ſacris Literis: vtpote, quarum Reſolutio eſt difficilior: in qua reſolutione ſi quis ſit exercitatus, illi haud difficile fuerit, quoſuis aliorum autorum textus artificiosè retexere.

SIT PRIMVM EXEMPLVM
ex c. 20. Numer. à v. 1. ſq. ad 14.

THema huius textus *ſimplex* eſt: nimirum miraculum aquæ ſcaturientis ex petra: quod thema explicatur

per ſequentia inſtrumenta, ex quibus primum eſto, *Obiectum*, cum miraculum hoc fuit editum, nimirum, totus coetus filiorum Iſraëlis, vt dicitur verſ. 1. II. Inſtrumentum explicationis eſt *circumſtantia loci*, vbi fuit hoc miraculum editum: nominatur autem locus tum communis, tum propriatus: communis eſt, deſertum *Sin*: proprius locus, eſt *Cadeſh*: quæ ſtatio ſita fuit ad fines Idumæorum, vt apparet ex capite 13. eiuſdem libri. Hic locus proprius explicatur *adiuncto*, nimirum, ſepultura Mariæ ſororis Moyſis. III. Inſtrumentum expl. eſt *circumſtantia temporis*, quæ dicitur fuiſſe nouiſſimum primum, ſubintelligo anni, poſt exitum populi Iſraëlitici ex Ægypto.

IV. Inſt. expl. eſt *ἡ πρόσληψις καὶ μετάθεσις* quæ Deum mouit, vt hoc miraculum ederet, videlicet, rebellio populi Iſraëlitici, quæ explicatur ſuis peculiaribus inſtrumentis, è quibus 1, eſt *obiectum*, contra quod rebellio facta eſt, nimirum, Moſes & Aaron verſu 2. 2, *cauſa προκαταρκτικὴ*, quæ populum ſtimulauit ad rebellionem, nimirum, ſitis ex defectu aquæ, verſu ſecundo. 3, additur *effectus peruicaces* rebellionis, nimirum, exprobratio Moſi & Aaroni facta, verſ. 3. 4. & 5. Tractatur autem illa expoſtulatio tanquam thema coniunctum themati ſimplici immixtum; & 1. argumentum eſt *à comparatione* præſentis ſtatus, cum eo quem experti ſunt reliqui Iſraëlitæ, qui in deſerto exſpirarunt; quæ comparatio exornatur voto, v. 3. *Vtinam expiraſſemus!* 2, argumentum eſt *à subiecto* huius paſſionis, nimirum, congregatione Ichouæ, verſ. 4. 3, argumentum *à circumſtantia* loci, verſ. eodem. *Cur eduxiſti in deſertum?* quod argumentum amplificatur 1, per comparationem impariam, dum deſertum confertur cum Ægypto. 2. ab accidente ſtatus loci, quod videlicet ſit & ſterilis (ſterilitas autem illa amplificatur per partes, quod nec ficus, nec vites, nec mala-grana ferat) & aridiſſimus, in quo nihil ſuppetat aquæ. Denique expoſtulant argumento ducto *ab effectu* malo, nimirum morte, quam amplificant per partes ſubiecti; *Nobis*, inquiunt, *& iumentis noſtris moriendum eſt hic*, verſ. 4. Sequitur quintum explicationis inſtrumentum, nimirum,

cau-

causa precatoria proxima, quæ Deum mouit ad edendum miraculum, videlicet, ardentissima intercessio, quæ explicatur. 1. *Subiecti*, Moſe & Aarone, verſ. 6. 2. *causa προηγουμένη*, quæ eos mouit ad hanc precationem, nimirum metus populi. 3. explicatur *circumstantia loci*, cui eſt porta tentorij: denique additur *effectus* exterior iſtius ardentis precationis, nimirum, geſtus Moyſis & Aaronis procidentium in facies ſuas. Sextum inſtrum. expl. continet *causam efficientem principalem* huius miraculi, videlicet gloriam & verbum Iehouæ, verſ. 6. & 7.

Septimum inſtr. expl. continet *cauſas inſtrumentales*, per quas hoc miraculum editum fuit, ſimulque etiam *antecedentia*, quæ in propinquo antecesserunt: primum inſtrumentum eſt Moſes: ſecundum eſt virga à conſpectu Iehouæ accepta: intelligenda eſt autem florens illa virga Aaron s; quam ſupra cap. 17. Deus iuſſerat aſſeruari. Hic interiuntur Antecedens miraculi, videlicet collectio & conuocatio populi in vnum locum, vt rem tam ſtupendam poſſit conſpicere. Tertium inſtrumentum eſt compellatio petræ, quam Deus præceperat verſ. 8. *Alloquimini*, inquit, *petram iſtam ante oculos eorum, vt edat aquas ſuas.* Fuit autem compellatio iſta petræ tantum Symbolicum inſtrumentum, quo certus reddendus erat Moyſes & Aaron de futuro euentu. Octauum Inſtrumentum exp. continet *pugnantia* cum mandato diu no circa hoc miraculum. Primum pugnans eſt compellatio populi valde imperioſa, cum Deus contrà tantum petram vellet compelli: 2, pugnans eſt impatientia & intemperantia, quâ in populum Moyſes debacchatur: 3, eſt incredulitas & dubitatio de diuina potentia, ver. 10. 4, eſt inobedientia & perturbati animi impetus, quo nimirum Moyſes bis petram percutit, quod ipſi à Deo non erat præceptum v. 11. quo verſu etiam ipſum *thema* ponitur, videlicet Eductio aquæ multæ ex petra, ſimulque additur nouum Expl. inſtrumentum ab *effectu*, quod nimirum ſitim ſuam expleuerint tum vniuerſus populus Iſraëliticus, tum etiam iumenta ipſius, verſ. 12. & 13. Vltimum eſt expl. inſtrumentum continens huius miraculi

conſequentia, & Euentus tum reſpectu Moyſis & Aaronis, tum etiam reſpectu populi Iſraëlitici: Reſpectu Moyſis & Aaronis quidem, Denunciatio pœnæ, quod propter incredulitatem & profanationem nominis diuini non ſint introducturi populum in terram benedictam: reſpectu populi verò, declaratio potentiæ diuinæ & veritatis, quæ per hoc miraculum fuit demonſtrata.

SIT ALIVD EXEMPLVM CAP. *nimirum vltimum Deuteron.* in quo tractatur itidem *ſimplex thema*.

NImirum Mors Moyſis, quæ explicatur per ſeqq. inſtrumenta. 1. *per circumſtantiam loci*, qui eſt Campeſtria Moabitarum in monte Nebor, & montis illius vertex, qui deſcribitur ab accidente relatione, quod nimirum ſpectarit vertius Hiericho. 11. Inſtrument. expl. eſt *Antecedens*, nimirum, Adſcenſus Moyſis in illum verticem. 111. Inſtr. itidem eſt *Antecedens*, Demonſtratio nimirum terræ benedictæ, cuius deſcribuntur termini verſ. 2. & 3. Ipſum verò *thema* Mors Moyſis, ponitur v. 5. vbi ſimul additur *cauſa*, nimirum Dei decretum. Subnectitur deinde *conſequens* mortis, vid. ſepultura, cuius exponitur *cauſa efficiens*, ipſe nim. Iehoua. 2. Circumſtantia *loci*, vallis nempe Moabitarum è regione *Beth-peoris*.

Denique ſubijcitur iſtius ſepulturæ accidens, quod nimirum ſit ignota in hunc vſque diem. Poſthæc declaratur circumſtantia *temporis*, quo mortuus eſt Moyſes, anno nimirum 120. vitæ ſuæ. Exponitur etiam accidens Moyſis morientis, quod videlicet integris adhuc fuiſſet oculis & virili robore præditus. verſ. 7. V 8. narratur *conſequens* mortis Moſaicæ, nimirum, luctus & planctus populi Iſraëlitici, qui deſcribitur à *circumſtantia temporis*, quod nimirum durauit 30. diebus: & à *circumſtantia loci*, quod nimirum inſtituerus ſit is luctus in campeſtribus Moabitarum. Verſ. 9. declaratur eadem mors per aliud *conſequens*, nimirum, ſucceſſionem Iehoſuæ in officio Moyſis, qui Iehoſua deſcribitur ſuis accidentibus,

accidentibus, 1. quod fuerit plenus sapientiâ; cuius accidentis causa instrumentalis subijcitur, nimirum, impositio manus Moysis super Iehosuam.

Alterum accidens, est summa authoritas Iehosuæ, quâ valuit in populo Israëlitico, qui dictis eius obediens fuit. Tribus versibus vltimis, Moyses describitur suis præclaris proprietatibus. 1, quod nullus ei Propheta par in Israële surrexerit. 2, quod Iehouam intimè cognouerit, seu, vt loquitur textus, in os à Deo sit cognitus. 3, quod magna miracula & prodigia, & alia præclara opera Deus per Moysen in Ægypto & in deserto ediderit.

SIT PRO ALIO EXEMPLO CAP. 53

ESaiæ *Prophetæ*, quod inter omnes omnium Prophetarum prædictiones maximè est illustre ac memorabile, vsque adeo, vt nullus locus extet in toto veteri Testamento, qui passionem Messiæ clarius depingat, & obstinatam Iudæorum pertinaciam efficacius conuincat: Quapropter meritò Propheta Esaias Euangelistæ titulum propter solum hoc caput adeptus est, ita scribente ad Paulum Hieronymo: *Vir*, inquit, *nobilissimus Esaias cui Deus maiori gradu res futuras reuelauit, vt non tam Prophetæ, quam Euangelistæ nomen mereatur. Videtur enim non futura prædicere verborum inuolucris, qui mos est reliquis Prophetis, sed apertè detecteque præterita enarrare.*

Thema ergo huius capitis est *Messias*, cuius explicatur 1, *officium Sacerdotale, siue humiliatio*, vsque ad v. 8. 11 *officium Regium, siue exaltatio*, à v. 8. vsque ad finem, ita vt hæ duæ partes capitis possint constitui. Explicatur autem hoc thema 1, præparatione Rhetorica vers. 1. 2, tractatione ipsius thematis in reliquo capite. Præparatio siue *Exordium* ducitur à proprietate thematis, quæ comparata est ad attentionem, nimirum thema tractandum humanæ rationi valde difficile esse, & à paucis credi, quæ proprietas exornatur schemate interrogationis, *Quis credit?* Amplificatur deinde à

cauſſa, quia nimirum Euangelium a paucis recte intelligatur & accipiatur : quæ cauſa exornatur eleganti Metaphora brachij, quo denotatur proprietas illa Euangelij, quam Apoſtolus exponit Rom. 1. v. 16. *Quod ſit potentia Dei ad ſalutem*, & 2. Cor. 4. v. 3. *Quod Euangelium ſit iis, qui pereunt, tectum.* Poſt ſequitur *ipſa thematis tractatio*, ac primo quidem *humiliatio Chriſti* explicatur per partes, ex quibus prima eſt *humiliatio ante paſſionem*, v. 2. poſt extrema humiliatio in ipſa paſſione, verſibus reliquis, vſque ad 8. Humiliatio ante paſſionem iterum per partes explicatur, quarum prima eſt humilis & deſpecta natiuitas, quæ pulcherrimis metaphoris exornatur, primo plantæ tenellæ. Secundo, deinde, radicis in ſolo arido, quibus Metaphoris indicat Propheta naſciturum quidem Meſſiam ex ſtirpe Dauidis, vt cap. 11. dixerat, ſed ſtirpe iam prope exturpata, & ad infimum quendam ſortis ſtatum deducta : *Aſſurgit*, inquit, *id eſt, pullulat quidem & germinat, dum naſcitur è Maria virgine, ſed germen illud eſt veluti plantæ tenellæ, quæ foliis & fructibus ſuos non ita ſpatioſè & ſpatioſè poteſt dilatare:* ideoque amplificat a cauſa efficiente, nimirum decreto & voluntate Iehouæ, qui ex familia Dauidis prope extincta filium naſci voluerit ; ideo addit, *coram illo*, id eſt, probante illo. Secunda pars humiliationis ante paſſionem eodem verſu exprimitur, nimirum, occultatio dignitatis in humili & deſpecta humanitate, ſeu, vt loquitur, forma ſerui, quam formam ſeruilem declarat ſimilitudine deformitatis externæ, qua ſolemus offendi, ita, vt homines deformes non amemus. Altera pars humiliationis Chriſti eſt ipſa paſſio, in qua continetur extremus humiliationis gradus. Hæc autem paſſio etiam ſuis partibus à Propheta explicatur, vt eſt primo extremus contemtus & deſpectus ; qui illuſtratur comparatione cum reliquis hominibus, quorum nullus vnquam ita fuerit abiectus & ſpretus, vt fuit Chriſtus. Secunda pars paſſionis eſt *ſummus & exquiſitus cruciatus ac dolor.* Tertia pars eſt *magna infirmitas quam Chriſtus in paſſione ſua expertus eſt*, præſertim cum exclamauit, *Deus meus, quare dereliquiſti me ?* Hanc autem infirmitatem illuſtrat metaphora morbi, quo quis perpetuo detinet.

Secundo,

Secundo, Similitudine leproſi, ita tegentis faciem ſuam, vt à nemine agnoſcatur & æſtimetur. Expoſitis ita partibus paſſionis, ſubiungit eiuſdem paſſionis effecta & cauſas efficientes. Primus effectus paſſionis eſt expiatio peccatorum noſtrorum, cui ſimul additur cauſa θεοκατηγορικὴ, nimirum, amor noſtri, qui exaggeratur ab adiuncto ſeu accidente plerorumque hominum qui hunc amorem Chriſti non agnoſcant: & ſubijcitur ſtatim cauſa efficiens principalis huius paſſionis, dum dicit percuſſum & afflictum eſſe a Deo verſ. 4. Additur verſ. 5. effectus huius humiliationis & paſſionis, *Caſtigatio pacis noſtræ*, i. reconciliatio noſtri cum Deo: item liberatio noſtri a pœna peccatorum, cuius pœnæ cauſa exponitur v. 6. declarata ſimilitudine ouis errantis. v. 7. Explicatur propietas huius extremæ humiliationis, ſumma animorum Chriſti patientia, quæ illuſtratur ſimilitudine paruæ pecudis ductæ ad mactationem & ouis obmutescentis coram tonſoribus ſuis.

Hactenus reſolutio fuit 1. partis: Sequitur altera pars, de *Chriſti exaltatione* pertinente partim ad actus officij ſacerdotalis, partim vero ad regij officij functiones. Explicationis autem inſtrumenta potiſſimum ſumuntur à partibus exaltationis.

Prima pars exaltationis eſt liberatio a dolorib. quos ſuſtinuit in paſſione, & quos Propheta vocat coarctationem, ab initio v. 8.

Altera pars eſt abſolutio à iudicio, id eſt, declaratio innocentiæ eius. III. pars eſt immortalitas corporis Chriſti à morte reſurgentis, cum inquit Propheta *generationem*, id eſt, *durationem eius, quis enarrabit?* Amplificatur autem hęc pars liberationis per θεολογίαν, ſiue occupationem tacitam: Atqui Meſſias excindetur ex terra viuentium: E. non eſt immortalis. Reſp. Excidium eſſe non propter ſuam, ſed populi defectionem. Secundum, Reſp. Meſſiam improbitate & perfidia ſui populi, i. Iudæorum, ad mortem eſſe raptum, id quod illis verbis oſtendit, cum ait, *Improbis*, id eſt, Ethnicis militibus, *commiſſum fuiſſe ſepulchrum ipſius & pronunciatio ſententiæ de morte ipſius relicta diuiti*, i. præſid. Pilat. 3. Reſp. Idcirco eſſe extinct. ſiue excisum de terra viuentium;

quia ex decreto & beneplacito patris ſemetipſum voluerit offerre ſacrificium pro peccatis Electorum, verſ. 10. IV. Pars exaltationis Chriſti, eſt collectio Eccleſiæ, quæ declaratur metaphora ſeminis; *Videbit ſemen*, inquit Propheta, id eſt, poſteritatem vocatorum ad Eccleſiam. V. Pars eſt conſeruatio eorum, quos ſemel vocauit; *prolongabit dies*, inquit, id eſt, conſeruabit Eccleſiam. VI. eſt ſucceſſus prædicationis Euangelij, quæ his verbis exprimitur, *Dilectio* Iehouæ *per eum proſperabitur*. VII. Eſt Glorificatio Chriſti & adſcenſio in cœlum, quam exprimit his verbis; *Exemptum moleſtia ſeipſum videns, ſatiabitur*, id eſt, plena gloria fruetur. VIII. Pars eſt ſuorum electorum iuſtificatio, quæ amplificatur à cauſa, quod nimirum Chriſtus ſeipſum humiliauerit inſtar ſerui: Item quod fuerit iuſtus, qui pro iniuſtis paſſus ſit, quibus cauſis additur amplificatio à ſubiecto iuſtificationis, qui vocantur multi, quod ſubiectum habet multos: 2. Subiecti proprietate, quod hi ſint iuſtificandi, quorum iniquitates baiulauerit. Vltima pars exaltationis Chriſti eſt plena victoria de hoſtibus, quæ exornatur ſimilitudine prædę, & amplificatur à cauſa μεγαπυκτικῇ, quæ eſt paſſio pro peccatis electorum, & cauſa inſtrumentali, quæ eſt interceſſio pro electis, verſu vlt.

RESOLVTIO PRIMI CAP.

Iohannis.

DVo themata ſimplicia in hoc cap. tractantur: itaque duæ eius partes conſtituendæ ſunt: In prima parte vſque ad verſ. 37. tractatur thema perſonæ Chriſti: in 2. vero parte a dicto v. 37. vſq; ad finem c. exponitur vocatio duorum Apoſtolorum. *Pars prior de perſona Chriſti.* Tractatur thema perſonæ Chriſti *per partes*: quæ ſunt duæ, *diuina*, & *humana natura*: *Diuina natura* explicatur vſque ad verſ. 14. & exornatur verſ. primo, metaphorica appellatione & titulo λόγου: Sicut enim per ſermonem ſenſa animi noſtri aliis declaramus: ita æternus pater arcanam voluntatem ſuam de redemp. generis humani reuelat nobis per Filium ſuum.

Additur

Additur eodem v. 1. *proprietas naturæ Diuinæ*, nimirum *æternitas*, quæ illustratur comparatione cum principio mundi, quod nimirum eo momento, quo mundus condi cœpit, iam fuerit iste sermo, atque adeo quod necessariò sit æternus, excludens omnem temporis mensuram: Quod enim ante primum punctum temporariæ durationis existit, id necessariò omnem durationem finitam antecessit, & tempori non subijcitur: quod autem tempus excludit, id æternum sit oportet.

Secundò declarat eandem diuinitatem per *proprietatem personalem*, quod nimirum fuerit tanquam persona reuera à Deo Patre distincta: idque illustrat metaphora cohabitationis: *Erat*, inquit, *apud Deum*, sc. Patrem: Iam quod apud alium est, id reuera distinctum est ab eo, apud quem est; itaq;, Esse, apud eum nihil aliud est, quam personam distinctam habere, sed essentiam communem.

Tertio declarat hanc personam *per speciem siue essentiam*, eodem versu, dicens, *eam fuisse Deum*: versu 2. repetit proprietatem ante expositam, quod nimirum in principio apud Deum fuerit, quæ ἐπιμονὴ certitudinem & ἔμφασιν complectitur, v. 3. declarat eandem diuinitatem Christi *ex effectu*, quod nimirum, *omnia per eam facta sint*; eumque effectum illustrat *αὐτοθέσει*, *& absque eo factum est nihil*, *quod factum est*. v. 4. noua proprietate propositum θέμα explicat, quod nimirum filius Dei vitam habeat a seipso, & eam quibus vult, largiatur: vbi simul additur effectus, quod nimirum animas rationales à se creatas illustri cognitione & notitia ornarit, quem effectum illustrat metaphora lucis. vers. 5. subijcit alium *effectum*, quod nimirum etiam post lapsum reliquias imaginis suæ hominibus indulserit: quem effectum i. exornat Metaphora tenebrarum, & amplificat per oppositum, quod nimirum, reliquias illas imaginis diuinæ homines plerique plane obliterent, vt Filium Dei recte cognoscere plane non possint. vers. 6. alio *effectu* Filij Dei naturam declarat, quod nimirum humano generi sese per prædicatiouem Euangelij manifestarit, vt hoc remedio aliquo modo pelleret istas tenebras, in quas homo post lapsum incidit. Reuelationem

uelationem autem hanc explicat per *instrumentum indi-uidui*, siue singularis ministerij Iohannis Baptistæ. Hoc autem ministerium explicat 1, *Subiecto*, cum inquit, *homo cui nomen Iohannes*. 2, *causa efficiente*, nimirum, *missus a Deo*. 3. *proprietate officij*, quod est, *testari de luce*, id est, de natura & voluntate Filij Dei, quæ duo illustrat metaphora & titulo lucis. Primò, propter Essentiæ simplicitatem: non enim est qualitas luce purior & simplicior. Secundò, propter cognoscibilitatem, quia vt Aristoteles etiam 3. Metaph. inquit, *Deus est primum intelligibile, & sua natura maximè cognoscibile: quia non per aliud, sed per seipsum cognoscitur: etiamsi per accidens a nobis, quorum mens, vt ait vespertilionum ad clarissimam solis lucem, caecutit ad maximè cognoscibilem Dei naturam*. 3. Propter officium: vt enim lux omnia blande fouet, & exhilarat, ita æternus Dei filius delitiæ generis humani, suos fouet æterna pace ac lætitia: addit eodem vers. 7. finem ministerij Iohannis, nimirum, *vt omnes per eam* scilicet Iohannem, *credant*. vers. 8. addit ἀπόστασιν, quod nimirum Iohannes non fuerit illa ipsa lux, sed ad id tantum missus, vt de illa luce testaretur. Vers. 9. Christum declarat *alia essentia*, quod nimirum, *illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum*: cuius effectus, *causam* addit, quia *Christus sit vera lux*, id est, Essentialis lux, non lucens participatione aut gratia, sed natura & essentia: Illuminare autem omnem hominem dupliciter intelligi potest: primo, quod omnibus det hominibus tum animam rationalem, quæ est quasi facula quædam a Deo accensa: tum etiam in eadem anima lucentem legem naturæ, atque adeo ipsam vim intelligendi & cogitandi. Potest etiam sic exponi, quod omnes electos illustret salutari agnitione sui ipsius per S. sanctum. vers. 10. *aliam proprietatem* affert, quod nimirum se manifestarit hic sermo, per illustrem illam mundi creationem, & additur ἀπόστασις: quod tamen *mundus* (sic per Synecdochen vocat præcipuam mundi partem, homines) *eum non agnouerit*. Hanc ἀπόστασιν Apostolus proprietate relatiua ostendit: *venit*, inquit *ad suos*, de quibus proprietatem hanc enunciat, quod *pra ingratitudine eum non ex-*

ceperunt

ceperunt. Ver. 12. addit *oppositum* huius ingratitudinis, nimirum deuotam Christi exceptionem, cuius subiectum declarat gemino affectu. 1. quod nati sint ex filiorum Dei. 2. quod credant in nomen eius. 3. quod regenerentur, cuius regenerationis exponitur caussa efficiens, nimirum Deus, ex quo dicuntur geniti esse, id est, à quo regenerati, vt nimirum vocabulum sanctificationis permutetur vocabulo tropico regenerationis: atque hæc causa efficiens amplificatur antitheſi distributa per partes, *non ex sanguine, neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri*. Et huc vsque declarata fuit diuina Christi natura absolute & in se spectata. Versu 14. declaratur diuina Natura respectu humanæ quam assumpsit, & ponitur primo *correlatum*, idque per Synecdochen. *Sermo*, inquit, *factus est caro*. Secundo additur *proprietas ministerij*, quod obiit in illa humana natura. Exornatur autem ministerium illud metaphora conuersationis, *quando*, inquit, *commoratus est inter nos*: additur tertiò *effectus* illius conuersationis, videlicet cognitio gloriæ ipsius, cuius gloriæ explicatur *subiectum*, quod est, *vnigeniti Filius Patris*: post etiam *caussa efficiens principalis*, nimirum, *plenitudo gratiæ & veritatis*; eodem versu decimo quarto additur eiusdem reuelationis *caussa instrumentalis*, videlicet, testimonium Iohannis Baptistæ, quod prolixè exponitur à Ver. 15. vsque ad 37.

Primo ergo docetur *Subiectum* testimonij Iohannis. 2. *Obiectum* de quo testetur, quod declaratur proprietate, nimirum, respectu humanæ naturæ Christum missum esse post Iohannem, licet duratione & dignitate fuerit prior Iohanne. Ver. 16. eiusdem obiecti *effectus* additur, videlicet donatio gratiæ, & eiusdem gratiæ complementum: amplificatur hic affectus *comparatione* cum Moyse; cuius illa dicitur esse principalis functio, quod promulgarit legem, cum contra Christi sit conferre gratiam, & exhibere complementum typorum per Moysen traditorum, quod complementum vocat *veritatem*, v. 17. Vers. 18. alius *affectus* subijcitur, quod nimirum Filius Dei incarnatus Deum & eius voluntatem nobis declararit, qui effectus amplificatur 1. ab ἀφαιρέσει, *Deum*, inquit, *nemo vidit*: secundo à caussis efficientibus,

qua-

quarum prior est, quod sit vnigenitus Dei Filius: altera causa est intima cognitio essentiæ & voluntatis paternæ, quæ exornatur similitudine & metaphora sinus.

Ver. 19. explicatur *causa procatarctica remotior*, quæ Iohannem mouerit ad hoc testimonium perhibendum, videlicet legatio, cuius primo exponitur causa efficiens generalis, nimirum Iudæi: secundo, circumstantia loci seu termini à quo, videlicet Ierusalem: tertio, causæ instrumentales digniores, vt sacerdotes: indigniores, vt Leuitæ: quarto, additur finis, nimirum, vt interrogarent Iohannem de persona & officio eius. Vers. 20. explicatur prima pars testimonij pertinentis ad ipsam personam Iohannis negantis se esse Christum. V. 21. subijcitur *causa procatarctica propinqua*: videlicet interrogatio specialior distributa per partes. 1, *Vtrum sit Elias* 2, *Vtrum sit Propheta ille*, id est, vtrum sit eximius quidam Propheta similis Moysi. Ver. 22. additur *causa finalis* interrogationis, *vt responsum*, inquiunt, *demus iis qui miserunt nos*; simulque subijcitur alia causa προκαταρκτικὴ, qua permouere volebant Iohannem, & quam expoliunt schemate interrogationis: *quid de te ipso dicis?* id est, valde indignum fuerit te non nosse officium tuum. Ver. 23. exponitur *testimonium* de officio Iohannis, quod nimirum sit præco, qui hominibus denunciet Christi aduentum, idque exornatur metonymia, cum se appellat *vocem clamantis*, id est instrumentum, per quod Deus aliquid denunciet, & additur circumstantia loci, videlicet desertum, nec non & causa finalis. 1. præparatio mentium humanarum ad excipiendum Messiam, quæ exornatur eleganti metaphora viæ complanatæ, per quam dominus, id est, Messias debeat ambulare: secunda causa finalis est impletio vaticinij Esaiæ cap. 40. Vers. 24. Legati describuntur alio accidente, nimirum genere vitæ & professionis, quod videlicet fuerint ex Pharisæis. V. 25. & duobus sequentibus narratur *causa procatarctica* testimonij, & ipsius etiam testimonij sententia expressa.

Causa autem illa procatarctica, est colloquium legatorum cum Iohanne, quod explicatur duabus partibus, Interrogatione & Responsione. Interrogatio pro obie-

obiecto habet ritum baptismi, cuius ritus idonea subiecta ponuntur tria, Messias, Elias, & Propheta ille, cuius ante mentionem fecerant, eximius, nempe similis Moysi. Altera pars colloquij est responsio Iohannis, quę continet explicationem diuersitatis inter baptismum Iohannis & Christi, quæ diuersitas indicatur distinctione signi & rei signatæ, administrationem signi sibi Iohannes tribuit, collationem rei signatæ Christo, quem describit à proprietatibus. 1. quod iam tum versetur in populo Israelitico, quam conuersationem amplificat & illustrat similitudine medij; *In medio*, inquit, *vestrum stat*. 2. proprietas est, quod à Iudæis non agnoscatur. Tertia, est summa dignitas, quam amplificat ἀναδιπλῶσει, post me venit quidam, id est, ingressus est suum ministerium, sed tandē inchoatus est mihi, quam præeminentiam illustrat & amplificat similitudine solutionis corrigię, qua solutione indignum se dicit. Vers. 28. legationis totius locus particularis exponitur, nimirum *Bethabara*, quæ describitur *situ*, quod fuerit secus Iordanem, & *adiuncto*, quod ibi baptizaret Iohannes. Atque hoc est primum Iohannis testimonium, quod dedit de Christo absente: Sequitur vsque ad vers. 34. alterum testimonium, quod ipse dedit Christo præsenti. Huius explicatur primo circumstantia temporis, nimirum dies posterus. Secundo causa procatarctica, quod Iohannes conspexerit Iesum accedentem ad se. Tertio partes seu species testimonij, quorum vnum datur gestui, alterum verbis: testimonium gestus explicatur instrumento, digiti nimirum monstratione, *Ecce*: Testimonium verborum iterum subdiuiditur in testimonium personæ, officij, & dignitatis. Testimonium *personæ* continet explicationem humanæ naturæ assumptæ per similitudinem ductam ab agno, ita vt alludat non tantum ad agnum typicum, sed ad illum etiam, de quo vaticinatus est Esaias, capite quinquagesimo tertio: & additur causa efficiens, quæ humanam Christi naturam ad officium destinarit; dum dicitur, *agnus ille Dei*: ipsum autem *officium* exponitur ab effectu, *quod nimirum tollat peccata Mundi*: Testimonium *dignitatis* est versu trigesimo: ita nimirum explicatum, vt resoluimus vers. 27. Tertium genus testimonij, est per ritum

sacramenta-

sacramentalem Baptismi, cuius exponitur *Antecedens*, quod nimirum Iohannes illum de quo per Baptismum testari debebat, nondum nouerit tum temporis, scilicet de facie: additur deinde *finis* Baptismi, & totius ministerij Iohannis, videlicet vt populo Israelitico manifestus fieret Messias. Vers. 32. additur confirmatio testimoniorum Iohannis per diuinam quandam visionem, cuius visionis exponitur 1. *Obiectum*, Spiritus S. 2. Obiecti huius *adiunctum*, species columbæ. 3. *accidens*, descensus nimirum de cœlo, & commoratio super Christum. Versu 33. additur *finis* istius visionis, isque duplex: prior, vt, qui Christus Iohanni de facie cognitus non erat; posset tamen eum baptizare diuina quadam monstratione, cuius monstrationis instrumentum & signum additur, commoratio istius columbæ, qua se manifestabat Spiritus sanctus. Alter finis est, vt clarius innotesceret summum Christi beneficium, donatio nempe Spiritus sancti, quæ donatio illustratur metaphora Baptismi. Versu trigesimo quarto exponitur *causa instrumentalis* testimonij, nimirum sensus, *Ego*, inquit, *vidi*. Secundo additur ipsa testimonij sententia prædicans de Christo *quod sit Filius ille Dei*. Et hæc est prior pars huius Capitis.

Posterior pars itidem est thema simplex, videlicet, *vocatio & assumtio quorundam discipulorum Christi*. Hanc vocatio tractatur 1. in genere, vsque ad vers. 37. 2. in specie & per partes. In genere vocatio explicatur. Primo, per circumstantiam temporis, quod nimirum accederit postero die postquam Iohannes testimonium Christo præsenti dedisset. Secundo explicatur antecedens & causa προκατηρκτική, quod nimirum ibi tum steterit Iohannes eo ipso die, quo venturus erat Christus, & quidem steterit cum discipulis suis duobus, versu 35. Versu 36. propior causa προκατηρκτική additur, eaque triplex: 1. aduentus Christi ad eum locum. 2. Intuitus Iohannis conspicientis Christum ambulantem. 3. Demonstratio Christi, & pronunciatio testimonij repetiti de agno Dei. Per partes vocatio discipulorum exponitur à vers. 36. ad finem capitis.

Partes autem sunt 4. 1. pars seu species vocationis expli-

explicatur vſque ad v. 41. & tractatur 1, per ſubiectum vocationis, nimirum duos diſcipulos, quorum alter nominatur Andreas v. 41. alter non nominatur. 2, tractatur eadem vocatio per inſtrumenta vocationis, quæ ſunt 5. 1, auditus ſermonum Chriſti, 2 inſpectio Chriſti. 3, conſpectus, quo Chriſtus eos dignatur. 4, colloquium quod cum illis Chriſtus inſtituit: & quod explicatur per partes: prior pars eſt interrogatio Chriſti, quærentis quid quærant: poſterior pars colloquij continet tum reſponſionem ad interrogata, tum nouam quæſtionem. Reſponſio continet proprietatem Chriſti, quâ tribuunt ei dignitatem præcepteris: Noua interrogatio continet deſiderium ſciendi, vbi nam Chriſtus moretur: huius colloquij effectus additur verſ. 40. continens ipſam Vocationem, cuius duæ ſunt partes. 1, enim vocat eos ad veniendum: 2, ad videndum: poſt redditur effectus vocationis. 1, quod venerint. 2, quod viderint. 3, quod manſerint apud eum, cuius manſionis circumſtantia temporis explicatur, dies nimirum ille poſterus, cuius notantur partes elapſæ, horæ decem: vt intelligantur diſcipuli hi ad Chriſtum veniſſe horis duabus ante ſolis occaſum.

Secunda pars ſiue ſpecies vocationis eſt à Ver. quadrageſimo primo ad quadrageſimum quartum: eius 1. deſcribitur cauſſa inſtrumentalis, videlicet, Andreas, qui denotatur ab accidente. 1. quod fuerit frater Simonis Petri. 2. quod fuerit vnus ex illis diſcipulis Iohannis Baptiſtæ, qui poſtea ſecuti ſunt Chriſtum, ver. 41. Verſ. 42. additur cauſa procatarctica remota, quod nimirum Andreas inuenerit ibi prior fratrem ſuum Simonem, qui ſubiectum eſt vocationis huius: Subijcitur ibidem cauſa inſtrumentalis propinqua, concio videlicet Andreæ de inuento Meſſia.

Verſu quadrageſimo tertio proxima cauſa inſtrumentalis explicatur, quomodo Andreas Simonem adduxerit ad Ieſum. Cauſa vero principalis ibidem explicatur, nimirum, benignus Chriſti aſpectus, quo dignatus eſt Simonem, ſimulque additur adiunctum vocationis, compellatio Simonis, quem Chriſtus ab accidente deſcribit, quod ſit filius *Ionæ*: nec non & mutatio nominis,

nominis, vbi eum *Cephan*, seu petram in posterum vult appellari.

Tertia vocationis pars est à versu quadragesimo quarto vsque 46. & exponitur eius circumstantia temporis, posterus nempe dies. Secundo, Circumstantia loci, via nimirum Galilæam versus. Tertio, Subiectum vocationis, Philippus. Quartò, causa efficiens principalis, mandatum Christi, vt sese sequatur.

Vers. 45. Subiectum vocationis denotatur per circumstantiam loci siue patriæ, *Bethsaida*, quæ vrbs describitur comparatione, quod eadem fuerit patria Andreæ & Petri.

Quarta & vltima vocatio describitur à versu quadragesimo sexto vsque ad finem Capitis: & exponitur eius primum instrumentum, Philippus nimirum, qui personam vocatam illic offenderit. Secundum, ipsum subiectum seu persona vocata Nathanael. Tertium additur instrumentum proximum vocationis, cõcio Philippi de inuento Messia, quem Messiam describit à proprietatibus, quod videlicet Moyses sit de eo vaticinatus, & reliqui Prophetæ. 2. quod sit filius Ioseph. 3. à circumstantia loci, quod sit ex vrbe Nazareth. Versu quadragesimo septimo narratur repugnans, siue diuersum vocationis huius, opinio nempe Nathanaëlis existimantis ex Nazareth nil boni prodire posse, & additur aliud instrumentum siue causa προτρεπτικὴ, nimirum, hortatio Philippi ad Nathanaelem, vt veniat, & videat. Versu quadragesimo octauo exponuntur causæ efficiẽtes principales, quod *Christus* viderit Nathanaelem ad se venientem, & secundo, quod eum laudarit à fideli simplicitate; cuius subiectum additur, gens Israelitica.

Versu quadragesimo nono additur effectus huius inuitationis *Christi*, admiratio, scilicet Nathanaëlis, vnde Christus eum norit: & subijcitur alia causa principalis, nimirum, manifestatio omniscix Christi naturæ, cuius omniscientiæ effectus additur, videlicet absentis Nathanaëlis subter ficum morantis conspectus, qui conspectus amplificatur à circumstantia temporis, quod nempe eum viderit, priusquam Philippus vocaret.

Tribus vltimis versibus vocatio illustratur effectis, quo-

quorum quidam est respectu Nathanaëlis, quidam respectu Christi. Respectu Nathanaëlis, est cognitio Christi, cuius cognitionis obiecta sunt tres Christi proprietates. 1, quod sit Rabbi, siue Magister. 2, quod sit Filius Dei. 3, quod sit Rex Israëlis. Effectus respectu Christi, est concio ad Nathanaëlem de officio & glorificatione sua; quæ concio illustratur comparatione imparis seu maioris cum minore: minus est, quod Nathanaël credat propter ea, quia audierit se visum esse sub ficu à Christo: maius est, quod crediturus sit inposterum; quia maiora sit visurus. Secundò confirmatur concio hæc testimonio iurato, *Amen, Amen.* Et deniq; amplificatur effectis & conseq. duobus, nimirum apertione cæli & adscensu descensuque Angelorum Dei super Filium hominis, quibus continuatis metaphoris significatur virtus illa diuina, quæ in Christi ministerio & Ecclesiæ collectione euidenter eminere in posterum debebat, vt nimirum reipsa sentiant Electi se esse Deo reconciliatos, & capiti suo Christo ita insertos, vt sicut Angeli Christo ministrarunt, ita etiam ipsis suo ministerio sint affuturi.

CAPVT III.

De resolutione thematis coniuncti per secundam partem Logicæ.

Tantum de resolutione thematis simplicis: sequitur resolutio thematis coniuncti, quæ est secundæ vel tertiæ partis Logicæ.

Resolutio thematis simplicis difficilima est, & fundamentum omnis resolutionis in themate coniuncto. Itaque ad hanc inprimis diligenter attendere debet Logicæ studiosus, cui puto illa exempla difficilium textuum, quæ selegimus, facilem viam paratura ad alia θέματα simplicia, siue in N. Test. siue alibi extent, resoluenda: nunc tempus est vt properemus ad doctrinam de resoluendis thematibus coniunctis.

Resolutio secundæ partis Logicæ est, quæ euoluit textus sententiosos, quibus meræ propositiones sine probationibus continentur.

Thema coniunctum ab autore aliquo vel nudè tantum ponitur, vel suis etiam argumentis confirmatur: quando nudè tantum ponuntur sententiæ, tum resolutio textus pertinebit ad secundam Logicæ partem. Atque hoc artificio secundæ partis Logicæ resoluuntur scripta sententiosa, vt sunt *Syracidis*, itemque *Salomonis*, quæ *Prouerbia* vocantur: In talibus enim Logica analysis nil aliud præstare potest, quàm vt dicat, tot & tot esse in aliquo capite propositiones siue sententias, easque ordine enumeret: Quæ res cum sit admodum facilis, nullis eget præceptis vel exemplis amplius. Tantum id moneo, ad hunc modum etiam resolui debere scripta autorum, quæ præcepta alicuius disciplinæ continent in se, vt est organon Aristotelis, & reliqua eius scripta: In his enim prima hæc cura esse debet, vt animaduertas, quot nam sint in illo capite præcepta homogenea, ad Logicam aut aliam disciplinam pertinentia, eaque præcepta separes à commentarijs, de qua re in Præcognitis nostris vberius monuimus. Nunc maioris euidentiæ ergò exemplum vnum saltem ex commentarijs nostris super posteriora Analytica scriptis adijciemus.

ANALYSIS C. 4 POST. ANALYT. libri. 1.

COnstituo duas partes in hoc capite. Prior continet explicationem necessitatis, quæ requiritur in propositionibus Syllogismi necessarij, adeoque demonstratiui, ad §. 12. vbi altera pars de applicatione τῆς κατὰλλου ad conclusionem: vtramque partem resolutio in hæc præcepta.

1. Proprietates Syllogismi necessarij Demonstratiui comprehendunt in se necessitatem tanquam palmariam & summariam, qua quidem ad scientiam demonstratiuam cum primis opus est: quod enim obiectum est scientiæ, id oportet esse necessario verum, id est, tale quod nunquam possit aliter se habere, siue falsum fieri. Scientia autem demonstratiua (vt hoc obiter repetamus) est quam acquirimus dirigente & disponente

ponente instrumento Syllogismi demonstratiui, cuius omnes partes, ex quibus constat, debent esse necessariæ. §. 1.

II. Necessitatis autem causæ sunt certæ, certique gradus, qui in propositionibus, ex quibus demonstratio constat, reperiuntur, & certis terminis Logicis exprimuntur, nimirum κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, & καθόλου πρῶτον, qui quidem nobis ante omnia sunt explicandi. §. 1.

III. Terminus κατὰ παντὸς denotat eiusmodi necessitatem habitudinis prædicati ad Subiectum, vt de eo omni tempore & loco, deque omnibus eius speciebus & indiuiduis verè prædicetur: quod quidem ita rectè dici, argumento est experientia: nam cum probare volumus aduersarij θέσιν non esse κατὰ παντὸς, damus instantiam, vel alicuius speciei vel indiuidui sub subiecto comprehensi, vel temporis aut loci, cui prædicatum non inest. § 3.

IV. Καθ' αὑτὸ denotat eiusmodi σχέσιν, siue habitudinem prædicati ad subiectum, vt non solum insit omni. & omni tempore ac loco, sed etiam mutuò sibi sint essentialia. Atque hæc vna est significatio huius termini Logici καθ' αὑτὸ, quæ pertinet ad terminos complexos. id est, propositiones integras, prædicatique cum subiecto dispositionem. Sunt & aliæ significationes, quæ non ad complexos, sed ad simplices tantum terminos pertinent, ex quibus mox duas attingemus.

V. Sunt autem essentialis huius connexionis, quæ termino καθ' αὑτὸ significatur, duæ quasi partes: prior est, quando prædicatum est de Essentia Subiecti, inque eius definitione sumitur, vt sunt omnes illæ prædicationes in quibus 1, differentia remota, 2 proxima, 3 genus remotum, & 4, proximum, ac deniq; 5, tota definitio de definito prædicatur: Posterior est, quando prędicatum est proprium subiecti accidens, καὶ ἐπουσιῶδες, in cuius definitione subiecti ponitur; qualia quidem propria interdum separatim prædicantur, vnum de vno subiecto; interdum disiunctiuè duo, vel propter defectum distinctionis subiectorum in species, vel propter indetermina-

tionem potentiæ ad vtrumque oppoſitum : Sic omne animal vel vigilat vel dormit, omne corpus vel mouetur, vel quieſcit : Sic & rectum & curuum, de linea : Par & impar, de Numero : item primum & compoſitum, nec non æqui-laterum & ἑτεροπλεύρων diſiunctiuè prædicantur : omnis enim linea vel recta vel curua eſt. Accidentia autem communia, quæ nec ſeparatim, nec diſiunctiuè cum ſuis ſubiectis diſponi poſſunt, vt neceſſariò & immutabiliter de ijs prædicentur, oppoſitam huic modo prædicationem conſtituunt, quæ dicitur κατὰ συμβεβηκός §. 4.

VI. Atque hæ ſignificationes τὸ καθ' αὑτὸ hactenus ad terminos complexos pertinuerunt : ſequuntur duæ, quæ ad ſimplices terminos ſpectant : Cum enim Ens diuidatur in Subſtantiam & Accidens. Subſtantia quidem eſt Ens καθ' αὑτὸ, quæ à nullo extra ſe Ente, quoad Eſſentiam & Exiſtentiam dependet : & idcirco non per aliud Quid, ſed per ſeipſum eſt id quod eſt : Accidentia verò omnia per aliud & in alio ſunt quod ſunt ; idcirco non ſunt Entia per ſe. §. 5.

VII. Pertinet etiam ſignificatio τὸ καθ' αὑτὸ ad ordinem, qui eſt inter cauſam & effectum : Nam cum aliquid accidit ex cauſæ intentione & operatione propria, dicitur effectus per ſe : Cum autem accidit præter cauſæ intentionem atque operationem, & videtur tamen (vel temporis coniunctione vel alio quouis errore) ex cauſa illa eſſe, dicitur effectus κατὰ συμβεβηκός, vt ſi quodam ambulante fulguret, fulgur non eſt ex ambulatione, idcirco dicimus per accidens fieri, quod hoc ambulante fulguret. Sed ſi quis ex fulguratione intereat, non dicimus id per accidens factum, ſed per ſe : quia fulgulatio eſt propinqua cauſa interitus. §. 6. Repetamus ergo ſummatim rem totam : propoſitio per ſe quæ legitimum eſt ſcientiæ obiectum, eſt, cum vel prædicatum ſumitur in definitione ſubiecti, vel ſubiectum in definitione prædicati, neque enim plures ſunt modi per ſe in propoſitionibus ; ſed hi duo ſufficiunt ad denotandam eam prædicati ad Subiectum habitudinem, quæ eſt immutabilis, ſiue vnum de vno dicatur, ſiue duo propria diſiunctiuè de vno, non quia ſimul duo contraria vel

contradictoria

contradictoria vni subiecto, vno insint tempore: sed hoc sensu, quod necesse sit vel hoc inesse, vel illud, cum de omni reuera sit vel affirmatio, vel negatio: vt numerum necesse est vel parem vel imparem esse. §. 7. Atq; tantum de κατὰ παντὸς, & καθ' αὑτὸ. §. 8.

VIII. Terminus καθόλου denotat eiusmodi habitudinem prædicati ad Subiectum, vt non solum ei insit omni, & semper, nec tantum essentiali nexu, sed etiam ita, vt ad hoc solum subiectum in tota sua latitudine sit determinatum & coæquatum, non per aliud, sed per ipsam essentiam Subiecti, atque inhæreat non quâ aliud, sed quâ ipsum tale est. §. 9.

Atque hic est summus & completus necessitatis gradus, omnem excludens contingentiam. §. 10. Et quando terminus καθ' αὑτὸ denotat habitudinem prædicati, quod inest per ipsam essentiam Subiecti, atque opponitur τῷ κατ' ἄλλο ei quod est per aliud, tum planè æquipollet termino, ἢ αὑτὸ, qui idem est cum καθόλου. §. 11.

IX. Cum ergo accidens aliquod in conclusione de Subiecto perfectè demonstrari debet, oportet καθόλου insit; quod fieri non potest, nisi insit omni subiecto, & quidem primo, id est, tali, vt nullum sit interpositum subiectum medium, cui adæquatius insit; aliàs enim tantum secundum quid inerit & per aliud, non per se. §. 12.

APHORISMI EX HOC Capite collecti.

I. Ἐξ ἀναγκαίων συλλογισμός ἐστιν ἡ ἀπόδειξις §. 1.

II. Κατὰ παντὸς τοῦτο λέγω, ὃ ἂν ᾖ μὴ ἐπὶ τινὸς μὲν, τινὸς δὲ μὴ, μηδὲ ποτὲ μὲν, ποτὲ δὲ μὴ. §. 3.

III. Καθ' αὑτὰ ὅσα ὑπάρχει ἐν τῷ τί ἐστιν. καὶ ὅσοις τῶν ἐνυπαρχόντων αὐτοῖς αὐτὰ ἐν τῷ λόγῳ ἐνυπάρχουσι, τῷ τί ἐστι δηλοῦν. §. 4.

IV. Καθόλου λέγω, ὃ ἂν κατὰ παντὸς τε ὑπάρχῃ, καὶ καθ' αὑτὸ, καὶ ᾗ αὐτὸ, &c.

CAPVT IV.

De Reſolutione ſecundum tertiam partem Logicæ.

Reſolutio tertiæ partis Logicæ eſt vel Syllogiſtica vel Methodica.

Sicut tertia pars Logicæ duplicia habet præcepta, quædam pertinentia ad Syllogiſmum, & quædam ad methodum; ita etiam reſolutio, quæ ſecundum tertiam Logicæ partem inſtituitur, duplex eſt, vt in ſeqq. apparebit.

Syllogiſtica reſolutio eſt, qua retexitur tractatio queſtionis coniunctæ ſecundum ſequentes canones:

I. Propoſitio ſiue thema coniunctum Authoris ante omnia eruatur ex textu.

Vt qui cum laude iaculatoria exercitia tractare volunt, primo omnium de ſcopo cogitant & meta conſtituenda, ad quam tela ſua dirigant: ita in omni reſolutione, præſertim vero hac, de qua nunc tractamus, prima cogitatio eſſe debet, de primaria aliqua propoſitione ſiue concluſione ex toto textu eruenda, ad quam velut ad metam & ſcopum omnia, quæ autor in toto textu dicit aut ſcribit, referri poſſint: ita vt merito Philip. Melanchthon alicubi moneat *nullam eſſe rem, qua ad eruditionem & iudicium formandum plus conducere videatur, quam in ſcriptis autorum quærere certam aliquam propoſitionem*: Illi enim, qui ſe non aſſuefecerunt ad hanc diligentiam, ſæpe in iudicando & ſcribendo, tota, quod dicitur, via deerrant, ideirco Rhetores primo ſtatim loco tractant de ſtatib. vt innuant conſtituendam eſſe prius certam quæſtionis determinationem, antequam de argumentis cogitetur.

II. Propoſitio illa, ſi modo indicatiuo ab autore non ponatur, ad eum reduci debet.

Sæpiſſime autores propoſitionem ſuam formant modo imperatiuo: præſertim in genere deliberatiuo, cum

cum aliquid ſuadent aut petunt : vt in Pſalmis Dauidis plurimi imperatiuam habent propoſitionem, vt, *Exaudi me Deus*, *Laudate Deum* : Tum ergo imperatiuus reſoluendus eſt in indicatiuum : quia ſola indicatiua oratio Syllogiſmo concludi poteſt, tanquam veritatis aut falſitatis capax, vt monet Philoſophus libr. De interpretatione cap. 6.

III. Videndum eſt an propoſitio ſæpe in textu ab autore repetatur : hæ enim repetitiones in vnum colligendæ ſunt, & pro vnica propoſitione habendæ.

In materijs petitorijs & exhortatorijs, itemque laudatorijs, autores ſolent propoſitionem ſæpe repetere, tum ornatus gratia, tum, vt rem propoſitam tanto preſſius inculcent, id quod in Pſalmis Dauidis frequentiſſimè videmus fieri, vt Pſalm. 148. 1. 9. item 103. & alijs multis : id ergo ante reſolutionem argumentorum inprimis fieri debet, vt in vnum omnes iſtæ repetitiones colligantur, ne pro vnica propoſitione plures conſtituamus. quod certe maximum eſſet totius reſolutionis vitium.

IV. Quod ſi propoſitio non tantum repetita ſit, ſed etiam explicata, aut limitata ab autore, ante argumentorum Reſolutionem explicatio illa & limitatio indicanda : Quod ſi autor non explicarit aut limitarit, & tamen propoſitio egeat explicatione vel limitatione, ipſi eam inſtituere debemus.

Limitatio eſt forma velut & anima propoſitionis: nec poſſibile eſt argumenta rectè applicari, niſi concluſio diligenter ſit limitata; idcirco ſi autor non limitauit, indicium eſt eum Reſolutori tacite illam cogitandam reliquiſſe.

V. Conſideretur an propoſitum thema ſit vniuerſale, an ſingulare : ſiue an ſit θέσις, an ὑπόθεσις.

Oſtendimus libr. 3: Syſt p. 409. vt & in præcedenti lib. huius tractatione, quam ſit diſſimilis plane tracta-

tio thematum vniuerſalium & ſingularium : ſi ergo diuerſa eſt tractatio vtique etiam diuerſa erit Reſolutio : themata enim vniuerſalia perfectam habent, vt tractationis, ita reſolutionis formam, ſingularia vero ab iſta perfectione multum recedunt.

VI. Conſideretur etiam diligenter an propoſitum thema ſit didacticum, an vero practicum.

Didactica themata ſunt quæ ad notitiam pertinent, & idcirco tantum vel probantur vel refutantur : practica vero ſunt, quæ affectus mouent & impellunt ad aliquid agendum. Itaque amplificationes potiſſimum in iis dominantur, vt ſunt themata adhortatoria, dehortatoria, accuſatoria, defenſoria, laudantia, vituperantia, comminantia, petentia, gratias agentia : In his primariorum affectuum motus Reſolutor ſpectabit, & præcipuam curam ſuſcipiet amplificationum & exaggerationum reſoluendarum. Contra vero in didacticis potiſſimum ſpectabit argumenta probantia vel refutantia.

VII. Poſt conſideratum ita thema, proxima cura ſit de mediis, per quæ thema ab autore fuit tractatum: quæ quidem ſunt vel argumenta probantia vel refutantia, vel ἀναλύσεις ſiue obiectionum ſolutiones, vel denique amplificationes & exaggerationes.

VIII. De argumentis primo omnium cogitetur an ſint artificialia, an vero inartificialia ſiue teſtimonia.

Magnum eſſe diſcrimen inter hæc duo argumentorum genera, ſatis apparet ex iis quæ in doctrina locorum Inuentionis libr. 3. Syſt. monuimus. neque enim teſtimonia cum extremis concluſionis ita in ſyllogiſticam formam combinari poſſunt, vt media ſiue argumenta artificialia.

IX. Medium artificiale reducatur ad locum Inuentionis, & conferatur cum ſubiecto & prædicato concluſionis propoſitæ.

X. Viden-

X. Videndum est, an aliqua ex præmissis ab autore in textu sit omissa, & tum ea à Resolutore addi debet.

XI. Si aliqua præmissarum prosyllogismo probetur, tunc in resolutione prosyllogismi eodem processu vtendum est, quo ante in Syllogismo primario.

Circa quæstionis coniunctæ resolutionem id considerandum est, resolui vel plenam & integram tractationem thematis, vel vnicum tantum in illa tractatione Syllogismum aut Prosyllogismum. De vtraque resolutionis specie hic docerausimus, vt simul monemus consulendum esse Aristotelem, qui de resolutione vnius Syllogismi aut Prosyllogismi solicite & prolixe tractat. 1. lib. Prior. capite vigesimo secundo, & sequentibus quæ doctrina tota huc pertinet.

XII. Argumenta confirmantia distinguuntur à refutantibus.

XIII. Si tacitam obiectionem autor interserat, ea quoque à confirmatione diligenter distinguatur, & ad Syllogisticam formam reducatur: simulque attendatur, qualiter textus ad istam obiectionem respondeat.

XIV. Amplificationes referantur ad sua certa loca, & exornationes ad certa schemata rhetorica.

In tractatione thematum, præsertim coniunctorum, autores tam sacri, quam profani solent illa tria coniungere, probationes, amplificationes, & exornationes: ita vt omnino necesse sit Logica artificia cum Rhetoricis coniungere: Etenim probatio, quatenus probatio est, ad Logicam pertinet: amplificatio autem & exornatio tantum ad Rhetoricam: ita vt merito Aristoteles Rhetoricam appellet παραλογὸν, id est, *adnatum quid Logica*: quia hæ duæ disciplinæ, etsi in vsu tractationum possunt à se inuicem diuelli, in vsu tamen Resolutio-

lutionis plerunque coaleſcunt. Atque hæc præcepta pro inſtituenda Reſolutione thematis coniuncti poſſunt omnino ſufficere. Conſequens eſt, vt exempla lucem præceptis allatura ſubijciamus: quæ tamen ita temperabimus, ne multitudine tædium afferamus, præſertim cum in compendio Logico exempla tam oratoria, quam poetica extent, & in Reſolutione Epiſtolæ Pauli ad Galatas exempla etiam thematum ſimplicium & coniunctorum ſimus habituri.

SVMAMVS PRO EXEMPLO Pſalmum 16.

VAlde eum celebrem quidem, & ab Apoſtolis ad Chriſti reſurrectionem confirmandam non ſemel citatum. Partes Pſalmi duas conſtituo, vnam communem, alteram propriam. Communis pars eſt inſcriptio v. 1. Altera pars eſt ipſa tractatio thematis verſibus reliquis. Inſcriptio duo continet: 1, proprietatem Pſalmi. 2, cauſam efficientem. Proprietas Pſalmi eſt, quod ſit inſignis *Michtám*, quod nonnulli interpretantur de cantu ſuauiſſimo, quo Dauid hunc Pſalmum decantari voluit. Alij dicunt, eſſe nomen inſtrumenti muſici elegantiſſime ſculpti, quo hunc Pſalmum voluit Dauid decini: alij dicunt deriuari nomen hoc à *Catham*, id eſt, maſſa auri excocta, quia ſit inſigne quoddam κειμήλιον, quod faciat ad ornatum Eccleſiæ. Cauſa efficiens nominatur Dauid, à quo Pſalmus hic ſcriptus eſt eo tempore, quo ab hoſtibus valde preſſus ſemet ipſum voluit erigere duplici conſolatione; primò, quod ipſi diuinitus promiſſum ſit auxilium. Secundò, quod eſſet verus typus Meſſiæ, ex ipſius ſtirpe naſcituri: Itaque vt hoc initio moneamus, Obiectum Pſalmi non eſt ſimplex, ſed compoſitum: primo quidem, Dauid tanquam typus, ad quem ſolum multa in hoc Pſalmo referenda ſunt. 2, ipſe Chriſtus, cui ſoli etiam quædam poſſunt applicari. Sequitur Tractatio ipſa, quæ circa medium verſus primi incipit, & duabus partibus continetur. Prior pars eſt petitoria, vſque ad v. 7. Altera pars eſt gratiarum actoria, à verſ. 7. ad finem. Petitorię partis

tis δίμα est v. 1. *Serua me Deus fortis*: hoc thema quia modo imperatiuo effertur, tacita cogitatione resoluitur in Indicatiuum modum, vt nimirum syllogistice cõcludi possit: *Deus debet seruare Dauidem regem.* Argumenta præcipua 10. adduntur. 1. est. ver. 1. à proprietate seu fide Dauidis; *quia sperat in Deum*; quod argumentum illustratur metaphora siue similitudine eorum, qui ab omnibus deserti, sese recipiunt in tutum locum. 11. argumentum est vers. 2. à proprietate Dei, quod nimirum is sit patronus Ecclesiæ, quod exornatur eleganti prosopopœia; qua introducitur Ecclesia compellans Deum, *dicis*, inquit, *Iehoua*, scilicet Ecclesia, cuius ego sum membrum, & quæ pro me tanquam mater pro filio loquetur. 111. argumentum etiam est à proprietate Dei: *bonum*, inquit, *meum non est penes te*; id est, Quicquid bono meo cedere potest, id non est celaturus aut absconsurus, sed re ipsa declaraturus: sic enim lubet interpretari verba aliàs obscura, quę *Luther.* & *Mollerus* ita interpretantur, q.d. Dauid iuuandum se esse, quia affligatur propter bonum, id est, gloriam ipsius Dei. 1v. argum. est v. 3. ductum à proprietate Dauidis, quod nimirum sit in fœdere Dei, & ex eorum numero, qui habeat communionem cum omnibus membris veris Ecclesiæ, *sanctis*, inquit, *qui sunt in terra*: & magnificis scilicet daturus ea auxilium, ex quorum numero me quoque esse profiteor; quod probat verbis sequentibus: quia tota oblectatio sua sit in sanctis, id est, habeat communionem cum veris Ecclesię membris, tum in fide, tum etiam in fidei obedientia. v. argumentum est Versu quarto ab oppositę, id est, hostibus Dauidis, quorum ea sit proprietas, quod multiplicent dolores meorum Ecclesiæ, quos hostes amplificat ab effectu, quod dotent alium, i. quod colant Deum alienum, itaque cultum illum idololatricum exornat metaphora dotis, qua soleant sua idola beare. Sextum argumentum à proprietate Dauidis siue firmo proposito, quo velit abstinere ab omni consortio idololatrarum: idque illustrat per synecdochen, dum eodem Versu quarto ait, *se non libaturum libamina eorum ex sanguine*, id est, se nolle sacrificare more Ethnicorum, qui humano sanguine

guine libant. VII. argumentum ex proprietate Dauidis, nimirum contemptu & aſpernatione impiorum, quem contemptum exornat metonymia effectus, quod nolit nomina impiorum labijs ſuis efferre. VIII. argumentum à proprietate Iehouæ: quod nimirum prouidentia ſua Dauidi certam ſortem decreuerit, quod decretum exornat metaphorâ, ductâ à veteri more hereiſcundæ hæreditatis; *Tu*, inquit, *es portio prædij mei*; id eſt, per te mihi deſtinata eſt certa pars hæreditatis. IX. argumentum ab effectu prouidentiæ diuinæ, quod nimirum deſtinatam partem hæreditatis clementer conſeruet. X. argumentum verſ. 6 à proprietate huius hereditatis, quam illuſtrat triplici metaphora, quarum prima eſt geometrarum, qui ſolent certis funiculis agros dimetiri: ſecunda ab agrorum amœnitate ducta: tertia ab agrorum precio. Secunda pars Pſalmi à verſu ſeptimo ad finem potiſſimum pertinet ad Chriſtum, cuius typus eſt Dauid. Eſt autem ἐυαγγελικὴ, cuius propoſitio eſt Verſ. 7. *Benedicam Iehouæ*: & Verſ. 8. *propono mihi Iehouam iugiter*: Argumenta hæc adducuntur: primum eſt ab effectu ſiue beneficio, quod nimirum æternus pater totum filij ſui curſum conſilio ſuo regat: ſecundum argumentum itidem ab effectu ſeu beneficio, quod etiam per noctes, id eſt quietis tempore inſtituat rectos, id eſt, intimam voluntatem & ſtudium ipſius: tertium argumentum à proprietate Dei, qui ſua potentia ipſum tueatur, quam proprietatem exornat metaphorâ dextræ, cuius effectus eſt, quod nulla ratione à propoſito curſu ſui officij poſſit impediri: quartum argumentum ab effectu gratiæ diuinæ, lætitiâ nimirum ſpirituali, cuius effectum amplificationis cauſa addit, videlicet ſpem optimam, quam in futurum concipiat. Verſu decimo aliud argumentum adducit ab effectu reſuſcitationis; *non es*, inquit, *derelicturus animam meam in ſepulchro*: idque amplificat per antitheſin, corruptionem nimirum, quam non ſit viſurus. v. 11. argumentum à profectione muneris prophetici ſumit, quo nimirum plenam voluntatem ſuam æternus Pater per Filium ſuum reuelarit. Et denique argumentatur à perfecta glorificatione, quam poſt reſurrectionem ſuam ſit adepturus.

Tantum

Tantum etiam de Reſolutione Syllogiſtica: ſupereſt Methodica: qua examinantur artificia methodi: cuius Canones ſunt tres.

I. Sicut Methodus alia eſt vniuerſalis, alia particularis: ita etiam reſolutionem neceſſe eſt inſtitui aut ſecundum partes methodi vniuerſalis, aut ſecundum canones methodi particularis.

Non eſt neceſſe hic de methodica reſolutione prolixius moneri, quia cum de quæſtione ſimplici aut coniuncta reſolvendâ tractatum ſuit, nihil aliud actum eſt, quàm vt methodi canones ordine traderentur, qui hic in memoriam reuocari debent.

II. Vincula connexionum & tranſitionum methodicarũ inter reſoluendum diligenter indicentur.

Exempli gratia, cum reſoluimus modo Pſalmum 16. ordine contexuimus argumenta, & ſecundam partem Pſalmi tranſitionis vinculo cum prima parte deuinximus: id ergo Reſolutor in alijs etiam imitabitur.

III. Si quæ fortè in autore occurrant vel ſuperflua, vel aliena à propoſito themate, de ijs Reſolutor monere debet.

Ex præcipuis reſolutionis fructibus eſt iudicium methodi; vtrum videlicet autor reſoluendus homogenea, id eſt poſiti thematis propria in ſua tractatione attulerit: ſi id non fecerit, libera cenſura adhibenda eſt à ſtudioſo Logicæ: & ſegregandæ paleæ à tritico per cribrũ Logici iudicij. Porro exempla Reſolutionis methodicæ ſequenti capite occurrunt, ad quod nunc tanquam ad portum huius exercitationis noſtræ properemus.

CAPVT VLTIMVM

De Reſolutione combinata.

HVC vſque fuit ſimplex reſolutio inſtituta ſecundum ſingulas Logicæ partes: reſtat reſolutio

ſolutio combinata, quâ nimirum retexitur tractatio aliqua ſecundum plures Logicæ partes ab autore confecta.

Oportet omnino tractationi reſpondere reſolutionem: itaque, vt tractatio ſuit vel ſimplex vel combinata; ita etiam reſolutionem oportet eſſe comparatam: nec iam difficile erit intelligere, quid ſibi velit terminus iſte *combinata Reſolutionis.*

Eſtque vel integræ diſciplinæ, vel ſcripti alicuius ſiue tractatus ad certam diſciplinam pertinentis.

Reſolutio integræ diſciplinæ eſt, qua methodus Syſtematis alicuius retexitur, cuius reſolutionis canones ſunt hi:

I. Præcognita diſciplinæ propoſita ita inſtituantur, vt imprimis conſtet, ſitne contemplatrix, an operatrix diſciplina.

II. Si ergo contemplatrix ſit, ad hæc tria tanquam ad certiſſimam cynoſuram tota reſolutio dirigatur, vt nimirum primo inquiratur diſciplinæ ſubiectum, poſt iſtius ſubiecti ſpecies: itemque affectiones, tum generales, tum ſpeciales, & denique iſtarum affectionum cauſſæ ſiue principia.

Demus exemplum huius canonis in libris Phyſicis Ariſtotelis, qui ita reſoluuntur: 1. Subiectum generale eſt corpus Naturale, quod ita tractatur in octo libris Acroamaticis, vt eius principia explicentur libris duobus prioribus: affectiones vero libris ſex poſterioribus. Hoc autem Subiectum diuiditur in ſimplex & mixtum. Simplex corpus Naturale eſt vel cælum, cuius eſſentia tractatur libro primo de cælo: affectiones vero libro ſecundo: vel Elementa quatuor, de quorum natura & affectionib. tractatur libris duob. de poſter. cælo. Mixtum corpus iterum vel in genere conſideratur, in libro nimirum de generatione & corruptione: vel in ſpecie, & ſic eſt vel perfectè vel imperfectè mixtum: Imperfectè mixtum

mixtum vocatur *meteorum*, de quo agitur libris tribus Meteororum. Perfectè mixtum iterum est vel homogeneum, vel heterogeneum. Homogeneum itidem consideratur vel in genere: & huc pertinet quartus meteororum: In specie autem de mixto homogeneo, id est, de mineralibus & metallis, Aristotelicum hodie nil extat. Heterogeneum corpus est vel planta, vel Animal. De plantis libri qui extant Theophrasto attribuuntur. Animalium doctrina plenius ab Aristotele tractata fuit. Duo autem de animalibus apud Aristotelem tractantur. Primo, eorum constitutiones seu principia, nimirum de materia libr. quatuor, quos scripsit De partibus animalium, & de forma, libris tribus de anima. Post agit de affectionibus animalium, nimirum libris quinque. De generatione animalium, item libris decem. De historia animalium, itemque libris quinque, qui vocantur *parua Naturalia*, vt est, *liber de sensu & sensili, de somno & vigilia, de motu animalium, de longitudine vitæ, de iuuentute, senectute, & morte*, itemque *liber de respiratione*. In specie autem animal est vel bestia, vel homo: bestiarum affectiones præcipuè tractantur lib. 10. De historia animalium. De homine autem agitur lib. 3. De anima: & libr. De memoria & reminiscentia. Hæc est breuis resolutio totius Physicæ Aristotelicæ.

III. Si autem operatrix sit disciplina, etiam tria inquiri debent in scriptis autoris. Primò, finis operatione acquirendus. Secundò, Subiectum, in quod finis introducitur, & tertiò, media, per quæ introduci debet.

Huius resolutionis egregia exempla in recognoscenda disciplina, qualis à Galeno & Auerroë conscripta est, extant apud Zarabell. libr. 2. & 3. De Methodis. Nos breuiter resoluemus Ethicam Aristotelis. Primus & decimus eius liber tractat de fine: ac primus agit de fine, quatenus principium est operandi: decimus vero quatenus effectus est operationis. Eodem libro primo, cap. vltimo tractatur de subiecto, in quod finis introduci debet, nimirum, homo secundum mentem & appetitum,

petitum. Reliqui libri agunt de medijs, per quæ iſte finis acquiritur: medium autem illud eſt duplex; virtus & virtutum vſus. Virtus eſt vel moralis, de qua agitur libr. 2. 3. 4. 5. & 7 vel intellectualis, de qua agitur libro ſexto. Virtutum vſus eſt amicitia, de qua agitur libro octauo & nono.

IV. Præcepta à commentarijs ſemper diſtinguantur.

Quid ad præcepta, quid ad commentarios referri debeat, ſuperiori libro monuimus, cum de ratione bene docendi & diſcendi moneremus: itaque hic non repetendum.

Tantum de reſolutione integri Syſtematis: tractatus aliquis autoris reſoluitur per hos canones.

I. Cogitetur inprimis an ſcriptum ſit acroamaticum, an vero exotericum, an denique mixtum.

II. Fiant legitimæ præcognita de cauſa efficiente ſeu autore ſcripti, de eius ſcripti ſcopo, de obiecto, ſi forte ſit epiſtola ad aliquem data.

III. Inſtituatur generalis partitio totius tractatus ſiue ſcripti, & ſi ſcriptum ſit diuſum in capita, quælibet capita ad ſuam partem referantur.

IV. Facta ita reſolutione generali, accedatur ad reſolutionem particularem ſingulorum membrorum & capitum, in quibus cum tractetur vel thema ſimplex vel coniunctum, ſecundum præcepta de vtroque themate ante tradita proceſſus reſolutionis inſtituatur.

Sicut combinatum ſcriptum nihil aliud eſt, quam congeries aut compages tum ſimplicium, tum coniunctorum thematum: ita etiam reſolutio combinata plane pendet à reſolutione ſeparata: idcirco hi canones abunde ſufficiunt, modo illi, quos de ſeparata reſolutione dedimus, recolligantur & applicentur. Cæterum res

tota

tota illustrabitur exemplo, quod insigne & eximium delegimus, *Epistolam* nimirum *D. Pauli ad Galatas*, qua velut coronidem & colophonem huic Gymnasio nostro Logico imponemus.

RESOLVTIO LOGICA EPIstolæ D. Pauli scriptæ ad *Galatas*.

RESolutio Epistolæ est vel generalis, vel specialis seu particularis. Generalis resolutio praecognoscit de his tribus: 1. *de autore seu causa efficiente huius operis.* 2. *de scopo.* 3. *de obiecto.*

Opus ipsum quod resolui debet, dicitur *Epistola*, id est, scriptum ab absente ad absentes missum, etiamsi nõ sit familiaris quædam Epistola tractans de rebus priuatis, sicut nonnulli epistolæ nomen nimis angustè circumscribunt. Causa efficiens seu autor communi omnium consensu est *Paulus*, in quo cõsiderantur persona, officium, & res gestæ, quæ omnia ex Actis Apostolicis repetenda sunt: Hoc loco duæ tantum circumstantiæ huius rei gestæ, id est, epistolæ scriptæ delibantur: *quando scripserit*, & *vbi*. Quando scripserit, etsi certo non constat, valde tamen est probabile, epistolam hanc esse inter postremas, quas Apostolus scripserit, quia Romã Apostolus biennio citriter ante mortem suam deductus est. Circumstantia autem loci vbi scripserit, in fine epistolæ assignatur *Roma*. Scopus epistolæ partim est communis, partim singularis: communis, est institutio Ecclesiæ in doctrina de iustificatione & de iustificationis fructibus. Singularis autem scopus, est vindicare Ecclesiam Galaticam à corruptela doctrinæ de iustificatione, & eandem adhortari ad obedientiam fidei bonis operibus ostendendam.

Ad hunc scopum intendendum mouit Apostolum hæc procatarctica siue occasio: Imbuerat Apostolus Galatas salutari & vera doctrina de medio siue instrumento iustificationis, fide nimirum: sed eo absente irrepserant in Galatiam pseudo-apostoli, qui quasi id Hierosolymæ à reliquis Apostolis in Synodo congregatis didicissent, doctrinam Apostolicam Galatis suspectam

reddebat, tanquam Apostolorum reliquorum decretis aduersantem, in doctrina præsertim seu capite religionis præcipuo, quod est de iustificatione peccatoris coram Deo, quam non in sola fide quærendam, sed obseruatione legis moralis ac ceremonialis stabiliendam docebant: idque vt obtinerent, affectibus & præiudicijs Galatarum animos præoccupabant, extenuantes 1. personam Pauli tanquam minus spectabilem. 2. etiam officium & Apostolatum eius in dubium vocantes, vtpote qui à reliquis Apostolis in Synodo Hierosolymitana congregatis dissentiret, quique ipse huic Synodo non interfuisset. Hoc ergo tam præiens periculum erroris & seductionis per totam Galatiam minimè contemnendum ratus Apostolus, hanc tam luculentam & efficacem Epistolam, quæ epistolæ illius palmariæ ad Romanos scriptæ, quasi quoddam breuiarium & epitome est, ad Ecclesiam istam direxit. Obiectum ergo ad quod directa est epistola, sunt incolæ regionis Galatiæ ad religionem Christi ministerio Pauli non ita pridem conuersi. Galatia autem fuit regio Asiæ minoris, quæ ab oriente habuit Cappadociam, ab occidente Bythiniam, a meridie Pamphyliam, à Septentrione Pontum Euxinũ: dicta etiam fuit Gallo-Græcia, & existimatur à Gallis nomen habere, quia hi cum Græcis ad regem Bythiniæ in auxilium euocati fuerunt, & postea ibidem consederunt. Partitio epistolæ nunc instituenda est. Diuido autem eam in partem communem & propriam.

Communem partem appello, quam habet hæc epistola cum omnibus alijs epistolis communem, vt est Exordium, & Conclusio. Partem autem propriam voco ipsam tractationem, quæ in alijs epistolis non ita reperitur. Pars communis iterum subdiuiditur in πρόοδον & ἐπίλογον, id est, ea quæ exordij loco tractationi præmittuntur, vt sunt 5. primi versus: & in conclusionem, quæ est versibus 2. poster.

RESOLVTIO
Cap. I.

PRimum caput 2. partibus constat: prima est communis illa, quæ Exordium dici potest ad versum 6. Altera

Altera eſt tractationis ipſius membrum ad finem. Exordium ſeu τὸ προοιμιακὸν τῆς ἐπιστολῆς, conſtat tribus partibus, Subſcriptione, Salutatione, & Inſcriptione. Subſcriptio eſt verſu primo continens nomen authoris ſeu ſcribentis, qui deſcribitur à proprietatibus, quarti primæ eſt, quod ſit Apoſtolus, cuius apoſtolatus cauſſa efficiens ſubijcitur, immediata quidem ipſe *Chriſtus*, mediata vero *Deus-pater*, qui declaratur effectu ſuſcitationis nimirum Chriſti à mortuis, atque hæc cauſa efficiens vocationis ad Apoſtolatum amplificatur per ἀπόδειξιν, quod nimirum non ſit vocatus ab hominibus, ſicut reliqui ordinarij miniſtri, neque etiam per hominem, tanquam per inſtrumentum, ſed à Chriſto & per Chriſtum immediate. Altera pars Subſcriptionis eſt immo verſus ſecundi: & ſunt omnes fratres, qui declarantur à circumſtantia loci, quod ſint ibidem, vbi eſt Paulus, videlicet Romæ. Eodem verſu 2. addituꝝ ἐπιγραφὴ, ſeu inſcriptio & denominatio eorum, ad quos hæc epiſtola directa eſt, qui deſcribuntur à proprietate duplici: 1. quod ſint incolæ Galatiæ. 2. quod ſint membra Eccleſiæ illius Catholicæ, per vniuerſum mundum colligendæ. Reſtat 3. pars exordij τὸ προοιμιακὸν ſiue ſalutatio, vbi 1. declaratur ſubiectum ſalutationis ſiue voti quid optet. 2. cauſſa efficiens à quo optat. Quod optat eſt duplex. 1. gratia. 2. pax: per gratiam intelligit cauſſam efficientem primam omnium bonorum ſiue beneficiorum, quæ homines accipiunt, diuinam nempe miſericordiam, & vt alibi loquitur δόξαν. Per pacem duo intelligit, 1. efficacem cõſolationem per Spiritum ſanctum in hac vita in credentibus excitatam. Secundo, lætitiam illam & gloriam inæſtimabilem vitæ æternæ, quam expectamus. Itaque rectè Thomas Aquinas in hac epiſtola dicit duo à Paulo optari, primum cauſam omnium bonorum & ſummum finem: pax enim, vt inquit, eſt quietatio mentis in fine. Optat autem hæc duo à duobus. 1. à Deo Patre. 2. à Ieſu Chriſto, quem deſcribit à duabus proprietatibus. Primo quod ſit Dominus noſter. Secundo ab actu officij Sacerdotalis, quod ſeipſum dederit pro peccatis noſtris, cuius proprietatis ſubijcitur finis, cauſa impulſiua & effectus; Finis ver. 4. vt nimirum nos eximeret

ex præſenti ſeculo malo. Cauſa impulſiua eſt voluntas Dei Patris eodem verſ. Effectus eſt verſ. 5. vt nimirum ei ſit gloria in ſecula ſeculorum.

Sequitur iam pars epiſtolæ ſpecialis, ſiue ipſa tractatio, quæ ſubdiuiditur in 2. partes, quarum prior eſt ἐλεγκτικὴ & μεμπτικὴ, id eſt, refutatoria & reprehenſoria, à verſ. 6. huius cap. ad verſ. 13. cap. 5.

Altera pars eſt νουθετικὴ, ſiue adhortatoria ad officia Chriſtianæ vitæ.

RESOLVTIO PARTIS PRIMÆ.

PArs prior epiſtolæ iterum ſubdiuiditur ſecundum ſingula capita quæ in poſterum reſoluétur. Thema autem partis huius, vt diximus, eſt partim ἐλεγκτικὸν, partim μεμπτικὸν, & obiurgatorium. Refutatorium eſt reſpectu ipſius rei ſiue doctrinæ, nimirum doctrinam Pauli de iuſtificatione, per ſolam fidem ſine operibus, & ceremonijs legis conſequenda, veriſſimam eſſe, & idcirco male oppugnari à pſeudo-apoſtolis. μεμπτικὸν autem ſiue obiurgatorium partis huius thema, eſt reſpectu perſonarum ſiue Galatarum, qui ſe paſſi fuerant ſeduci à pſeudo-apoſtolis à veritate huius doctrinæ. Argumenta autem ſiue media quibus thema tractatur, partim ſunt παθητικὰ, id eſt, affectus, partim δεικτικὰ, id eſt rationes. Ac primum quidem tractationis medium ab inſtanti ſtatim Veriſus ſexti eſt patheticum, ad id comparatum, vt pudor & metus Galatis incutiatur: itaque admirationis ſchemate exornatur: *miror vos*, &c. Deinde affert argumentum δεικτικὸν, à cauſſa efficiente ſuæ doctrinæ, ſcilicet vocatione legitima, & ipſa Chriſti gratia, quæ fuerit finis ſimul & efficiés cauſa ſalutaris iſtius doctrinæ de iuſtificatione, vbi ſtatim ver. ſeptimo ſoluit tacitam obiectionem, quæ oriri poterat ex verbis præcedentibus cum dixerat *eos transferri in aliud Euangelium*. Hinc enim poterat argumentari aliquis: *Ergo erit Euangelium duplex, cum tamen veritas ſit ſimplex*. Reſpondet non eſſe aliud Euangelium niſi per accidens, vitio nim. & culpa pſeudo-apoſtolorũ, quos deſcribit à gemino ſcopo, quem habeant propoſitum, ex quib. prior eſt,

eſt, quod velint turbare Eccleſiam: alter, quod velint deprauare Euangelium Chriſti, id eſt, illam doctrinam de gratuita iuſtificatione. Quod autem non ſit aliud Euangelium, illud probat ex ſubiecto, minarum ex ipſis Angelis, quos comparat tanquam magis quid cum pſeudo-apoſtolis, ſic argumentatus: *Si Angeli annunciantes Euangelium aliud non ſunt audiendi, multo minus audiendi erunt pſeudo apoſtoli.* Quam argumentationem amplificat & exaggerat grauiſſimo affectu deteſtationis, & ſimul etiam ſchemate ἐπιμονῆς ſeu repetitionis, verſ. 9.

Alterum argumentum ἐκθέσεως eſt à doctrinæ huius ſubiecto vel obiecto, quod videlicet res diuinas doceat: idque amplificat per ἀντίθεσιν, non humanas, ſed diuinas, & exornat ſchemate interrogationis. Tertium argumentum à fine ſui manifeſtij, quod ſolum Dei gloriam quærat: cuius argumenti minorem probat eodem v. 10. à proprietate ſua, quod ſit Chriſti ſeruus, ſeruũ autem oportet Domini gloriam tueri. Illuſtrat autẽ totam argumentationem tum ἀντίθεσις, quod non velit placere hominibus, tum nouo σχήματι interrogationis.

Quartum argumentum v. 11. & 12. à cauſſa efficiente doctrinæ ſuæ ducit, quam dicit eſſe immediatam reuelationem Chriſti ſub finem v. 12. & illuſtrat rationem hanc, 1, per affectum lenem ſeuũ θ, dum compellat Galatas nomine fratrum, quibus merito has res debeat facere notas. 2. amplificat per ἀπόφασιν, cum dicit, non eſſe ſecundum hominem illud Euangelium, id eſt, humano aliquo medio reuelatum, neque ab hominibus acceptum. Verſu 13. & ſeq. confirmat minorem huius Syllogiſmi, quod videlicet acceperit Euangelium immediata reuelatione, confirmat inquam à ſua vocatione ad apoſtolatum, de quo agit verſ. 15. ita argumentatus: *Quicunque ab vtero matris ſuæ ſeparatus eſt, & vocatus ad apoſtolatum: illius doctrina manauit ex immediata reuelatione: At ego Paulus ſum ita ſeparatus &c. Er.* Exornat igitur vocationem ſuam metaphora ſeparationis, quæ ex promiſcua turba, delectu habito, in militia ſolent deligi, qui duci videntur ad rem illam idonei, & addit ſimul cauſſam efficientem vocationis, nimirum

Dei beneplacitum & gratiam Versu decimo quinto. Vers. 16. vero finem vocationis subiungit, videlicet, prædicationem de Filio Dei & eius Euangelio inter gentes instituendam.

Amplificat autem vocationem suam etiam ab antecedentibus & consequentibus vitæ suæ actibus. Antecedentia sunt v. 13. & 14. 1. antecedens conversatio in Iudaismo, quam probat à testimonio proprio Galat. *Audistis*, inquit, &c. 2. antecedens est persecutio & vastatio Ecclesiæ Dei, cuius administer & auctor fuerit in Iudaismo. 3. Antecedens est profectus Pauli in Iudaismo, quem profectum amplificat à minori, videlicet æqualibus suis, quos in hoc genere longe superarit. 4. Antecedens est vehemens æmulatio traditionum Iudaicarum, v. 14. Vers. 17. Consequentia istius suæ diuinæ vocationis exponit. & 1. quidē consequens est, quod relicta Hierosolyma discesserit in Arabiam. 2. quod ex Arabia Damascum redierit. 3. consequens Versu 18. est Petri visitatio per dies quindecim: quæ explicatur, primo, Circumstantia temporis, quod nimirum tribus demum annis post Petrum inuiserit, cum scilicet ex Arabia Damascum redisset: secundo declaratur ex ἀναθέσει, cum addita restrictione, quod scilicet non viderit tum quenquem ex Apostolis præter Iacobum, qui describitur à proprio; quod fuerit frater, id est, cognatus Domini. Versu 20. parenthesin interserit, qui partim exornat asseuerando, partim confirmat testando, partim denique mouet affectum pudoris, quod nimirum indignum sit Galatas non credere istis doctrinæ, quam iuramento possit Apostolus confirmare. 4 Consequens Versu vigesimo primo, est aduentus Apostoli in Regionem Syriæ & Ciliciæ. 5. Consequens est gratulatio totius Ecclesiæ, qui Apostolus fuit exceptus, postquam ad Apostolatum vocatus fuit. Cuius gratulationis antecedens exponitur, quod Paulus fuerit ignotus Ecclesijs Iudææ, quarum Ecclesiarum efficiens causa nominatur Christus: alterum antecedens istius gratulationis est fama de Apostolo, qui ante fuerit persecutor, nunc autem sit Euangelij minister. Versu vigesimo quarto additur effectus istius gratulationis, nimirum glorificatio

Dei

Dei, cuius exponitur causa procatarctica, nimirum admirabilis Pauli conuersio.

RESOLVTIO
Cap. II.

PArtes capitis duæ sunt: prior est continuata expositio consequentium vocationis Paulinæ vsque ad versum 15. Altera pars continet aliquot argumenta, quibus principalis conclusio siue thema epistolæ comprobatur. Ac primo quidem in hoc capite exponitur sextum consequens vocationis apostolicæ, nimirum profectio Hierosolymam, quæ exponitur 1. ab accidente Quantitatis quod fuerit secunda. 2. à circumstantia tẽporis, quod acciderit post annos quatuordecim: & denique à paribus seu comitibus, nimirum Barnaba & Tito: versu vigesimo secundo addit istius profectionis caussam procatarcticam, nimir. reuelationem diuinam, quam exornat ἐπιμονῇ, schemate repetitionis, *Ascendi autem*: Subiungit etiam finem istius profectionis, nimirum vt prædicaret Euangelium gentibus, quas gentes distinguit ab obiecto, nimirum alias esse electas, alias non, & electarum gentium proprietatem exponit, quod ijs præcipue destinatur Euangelium, idque probat à fine, quia alias frustra cucurrisset, id est, Euangelium prædicasset. 7. Consequens est, quod non voluerit circumcidi Titum: qui quidem Titus describitur: primo ab adiuncto seu accidente, quod fuerit cum Apostolo: secundo quod fuerit Græcus, & additur simul amplificatio à caussa procatarctica, quæ Apostolum mouerit, cur nollet circumcidi Titum, nimirum quod videret præiudicium inde oriri aduersus libertatem Christianorum. Deinde vt veritas Euangelij sarta tecta maneret. Tertio ne videretur esse inferior reliquis Apostolis. Quod autem non sit inferior reliquis Apostolis, probat aliquot argumentis à natura Dei, qui personas non acceptat. 2. ab accidente reliquorum Apostolorum, qui nil potuerint adijcere, seu ipsum non instituere, Versu sexto. Atque id amplificat ἀνθέσει, videlicet honorifica existimatione Apostolorum reliquorum.

rum de seſe, & simul à comparatione cum Petro. Verſ. 7 & 9. Verſ. autem decimo effectum adducit iſtius ſuæ cum Apoſtolis conuerſationis, vt eſt, 1. ſtudium in pauperes. 2. libera obiurgatio Petri, cuius obiurgationis exponitur 1. antecedens, aduentus Petri Antiochiam. 2. cauſſa procatarctica; quæ Apoſtolum mouit ad Petrum obiurgandum, videlicet ſimulatio, qua libertati Chriſtianæ nocuit, & Iudæis adulatus eſt. Verſu 12. 13. & 14. Altera pars capitis incipit verſ. 15. Vbi tractat thema illud, quod eſt totius Epiſtolæ principalis ſcopus, videlicet, *nos ſola fide in Chriſtum ſine operibus legis iuſtificari.* Quod thema tractat partim ſoluendo tacitas obiectiones, partim argumenta afferendo, partim denique affectus mouendo. Ac verſ. 15. ſolut obiectionem: *Paulus eſt hoſtis legis, ideo doctrinam de gratuita iuſtificatione proponit.* Reſpondet negando minorem, ſe non eſſe hoſtem legis, cum ſit Iudæus. Verſ. 16. affert argumentum ductum à teſtimonio Pſalmi 142. verſ. 17. iterum ſolut obiectionem: *Doctrina de iuſtificatione anſam præbet ſecuritati carnali. Ergo reiicienda.* Reſpondet negando antecedens; quia Chriſtus, cui eſt auctor iuſtificationis, in ſuis non tantum remiſſionem peccatorum, ſed etiam regenerationem operetur, quam regenerationem illuſtrat metaphorâ ædificij, & metaphora vitæ. Verſ. decimo octauo, decimo nono, & vigeſimo. Verſu vigeſimo primo affert ſecundum argumentum ductum à fine mortis Chriſti, & ducens ad abſurdum; ſi ex lege eſt iuſtificatio, Chriſtus mortuus eſt fruſtra. Ratio conſequentiæ eſt, quia vbi ſufficit ſatisfactio legalis, quæ conſiſtit in præſtatione bonorum operum, ibi non opus eſt ſatisfactione per mortem.

RESOLVTIO
Cap. III.

PArtes capitis duæ poſſunt conſtitui: vna eſt vſque ad verſ. 19. continens argumenta continuata & probantia concluſionem ante conſtitutam: altera verò pars tractat de ſcopo legis. Ac 1. V. aliud argumentum Apoſtolus affert, *Qui vera fide apprehendunt Chriſtum crucifixum;*

cifixum: illi non debent quærere iuſtitiam in operibus legis: idq; amplificat motu affectus & increpationis, *amentes Galat.* v. 2. & 3. adducit argument. ex effectu fidei; quod nim. per hanc acceperint ſpiritum: itaq; etiam hac ſaluentur. v. 4. & 5. affert argumentum ex alio effectu fidei, vt conſtantia in perſecutionibus, quam non habeant ex lege. verſ. 6. ad 10. vſque argumentum ducit à pari ſeu exemplo: *Quomodo Abraham iuſtificatus eſt, eodem modo etiam reliqui iuſtificantur: At Abraham iuſtificatus eſt ex ſola fide*, quod probat ex ſcriptura & ſimul ex effectu: quia in Abrahamo benedictæ ſunt omnes gentes; verſ. 10. argumentum eſt a natura legis, quæ execrationem pariat, quod probat ex Deutero. 26. verſ. 11. argumentatur a teſtimonio Prophetæ Abacuc. *Iuſtus ex fide vivet: At lex non eſt ex fide. E. ex lege non vivimus.* ver. 13. ſoluit obiectionem. *Si lex nos execratur, quomodo poſſumus ſalvari?* Reſp. eod. v &. ſeq. quia Chriſtus pro nobis execrabilis factus eſt in ligno, ideo vi meriti ipſius liberamur ab execratione. Minorem autem huius aſſertionis ſuæ, quod nim. vi meriti Chriſti iuſtificemur, probat à veritate promiſſionum diuinarum, quam veritatem amplificat à minori. *Humanæ*, inquit, *pactiones ratæ eſt. Ergo multo magis Dei pactio.* verſ. 17. iterum ſoluit obiectionem; *Si promiſſione & gratia Dei ſaluamur, iam frustra lex erit promulgata.* Reſp. in ſecunda parte capitis, nullam eſſe rationem conſequentiæ: non idcirco abrogari legem, quia gratia nos iuſtificet, ſed alios eſſe legis vſus. 1. vt monſtret futurum ſemen. 2. vt oſtendat Dei ſimplicitatem & iuſtitiam. ver. 20. 3. vt lege conuinceremur, quod omnes homines ſint peccatores. 4. vt per legem, tanquam per Pædagogum adduceremur ad Chriſtum tanquam Medicum. verſ. 24. 25. 5. vt fides in Chriſtum tanto fiat firmior, quę nimirum nititur promiſſionibus: quarum promiſſionum exponit obiectum, nimirum filios Dei per fidem in Chriſto, cuius obiecti proprietates explicat tres. 1. quod per baptiſmum Chriſto inſeratur. 2. quod fruatur ſumma libertate, nec amplius aſtringatur ad certam nationem, & 3. quod ſit hæres promiſſionum, quæ datę ſunt Abrahamo.

RESOLVTIO Cap. IV.

NOn debet diſtingui in partes hoc caput; quia eſt continuatio vniformis ad tractationem thematis propoſiti pertinens. Ac 1. argumentatur a natura legis, præſertim ceremonialis: *quod ad Chriſtianiſmi puritatem & infantiam tantum pertinet, id non poteſt iuſtificare. At lex ceremonialis. Ergo.* Maioris conſequentiam probat; quia iuſtificari eſt accipere promiſſam hæreditatem, infantilis autem & puerilis ætas adire non poteſt hæreditatem. Ergo. v. 2. & 3. verſ. 4. illuſtrat propoſitum argumentum ab antitheſi, & ſimul ita argumentatur; *Quando venit plenitudo temporis, quo Deus per filium nos adoptat in filios, tum noneſt quærenda iuſtificatio ex operibus legis. At vero nunc venit illud tempus. Ergo.* Minorem probat ab effectu; quia in cordibus noſtris ſentiamus efficaciam Spiritus Sancti, de qua verſ. 6. & 7. Verſ. octauo, illuſtrat iſtam Spiritus Sancti efficaciam ſimulq; gratuitam Dei adoptionem ἀντίθεσιν. 1. ἀντιθ. eſt, quod ſe conuertant ad egena Elementa Mundi. 2. Obſeruatio temporum. 3. tacitus Apoſtoli contemtus. Ac primum cõtemtum conatur Apoſtolus amoliri per varia ἤθη, ſeu affectus leniores; ductos partim a perſona ſua, partim a perſona Galatarum, ne ſcilicet miniſterium ſuum apud eos fruſtra fuerit: alter affectus v. 12. eſt, quo appellat eos fratres, & teſtatur nil ſibi iniuriæ antea a Galatis illatum eſſe: 3. Affectus ducitur a ſumma reuerentia, qua prædicationem Apoſtoli Galatæ antea acceperant, quam reuerentiam amplificat comparatione maioris; videlicet, Angeli & ipſius Chriſti. verſ. 14. 4. affectus ducitur a ſummo amore, quo Galatæ amplexi ſint Paulum: quem amorem exornat tropo ὑπερβολῆς, quod nimirum oculos ſuos effoſſos daturi fuiſſent pro Apoſtolo. verſ. 15. 5. Affectus ducitur a malo propoſito pſeudoapoſtolorum, quod exprimitur. Verſu 16. 6. Affectus eſt ab honeſto: *præclarum*, inquit, *eſt amare rem bonam non ſolum præſentem, ſed etiam abſentem:* 7. Affectus a στοργῇ paterna Pauli, qui parturiat Galatas in Chriſto, & illuſtratur hic affectus

voto; quo optat ſe præſentem eſſe Galatis. verſ. 20. V. 21. ab affectibus ſiue Ethicis argumentis reuertitur ad argumenta διανοητικὰ, & vſque ad finem cap. vnicum hoc argumentum proponit: *Qui ſunt filij Abrahami ſecundum virtutem promiſſionis per mutationem fidei legitimè nati, illi non debent iuſtitiam quærere ex ſeruitute legis. At Chriſtiani ſunt tales.* E. Hoc argumentum i. exornat communicationis ſchemate: *dicite mihi*: 2. illuſtrat prolixa allegoria, ducta ex duplici genere filiorum Abrahæ, quorum vnum genuerit ex ancilla, alterum ex libera. Ille autem, qui natus eſt ex ancilla, non fuit capax hæreditatis paternæ, ſed alter qui natus eſt ſecundum promiſſionem ex ſterili Sara. verſ. 22. 23. Deinde verſ. 24. vſque ad finem ſequitur applicatio, eaque duplex; vna quidem ad legem & Euangelium, vſque ad verſ. 28. Altera vero ad eos qui ex lege & eos qui ex Euangelio iuſtitiam quærunt: Duplex, inquit, à Deo ſancita eſt pactio: vna in monte Sina, quæ eſt lex: altera vero in cœleſti Hieroſolyma, id eſt, Eccleſia per Chriſtum: prior pactio non poteſt nos ſaluare: ſicut naturalis procreatio non potuit Iſmaëli paternum hæreditatem conciliare: poſterior autem pactio iuſtificat nos & ſaluat, ſicut procreatio Iſaaci ex Sara hæredem eum fecit omnium bonorum Abrahami. Altera applicatio eſt ad eos, qui diuerſum quærunt iuſtificandi modum: Sicut Iſmaëli non profuit natum eſſe ex Abrahamo, quia ex natura tantum natus erat: ita legis obſeruatoribus lex ad ſalutem prodeſſe nequit; quia non habent promiſſionem ſalutis in lege, vtpote quam nequeunt explere. Contra ſicut Iſaaco profuit natum eſſe ex Abrahamo ſecundum promiſſionem ſupra naturam: ita prodeſt ad ſalutem Euangelium ijs, qui fide iuſtitiam quærunt: quia Euangelium habet promiſſionem Salutis.

RESOLVTIO Cap. V.

DVæ ſunt partes cap. prior eſt vſque ad verſ. decimum tertium, qua pertexitur argumenta ad probandum propoſitum thema, iuſtitiam ex fide, non ex lege quærendam eſſe. Altera pars cap. ſimul eſt altera

pars

pars Epistolæ, νουθεσία nimirum ad officia Christianæ vitæ. Ac primum quidem arg. prioris partis ducitur à fine totius officij Christi, qui est assertio Electorum in libertatem, oppositam seruituti legis: Alterum argum. v. 2, 3, 4. est ex natura ceremoniarum legalium, atque ex earum opposito: *Christus*, inquit, *vobis nil prodest si circumcidamini*; id est, circumcisio nullam habet vim iustificandi; quia si ex circumcisione iustitia posset obtineri, frustra Christus mortuus esset; quia circumsio legis est; Christi autem mors gratiæ. 3. argum. ducitur ex natura veræ fidei, quæ Christo nititur: *Quod potest vera fides, id non debet quæri ex lege: At vera fides potest iustificare. Ergo iustificatio in lege non est quærenda.* Fidem autem illam explicat effectu, quod nimirum sit efficax per charitatem. vers. 7. ad 11. interserit argumenta pathetica. 1. à persona Galatarum, quos vult delinire lenissimo affectu laudis: *Currebatis*, inquit: Alter affectus est ex persona seductorum: quod videlicet non sint a Christo, qui initio vocauit Galat. 3. affectus, a natura ipsius rei: *Non est contemnenda res, de qua ad vos scribo*: quod illustrat pulchra similitudine, *sicut* inquit, *paulum fermenti*, &c. ita error qui initio paruus videtur, totam Ecclesiam inficere potest. 4. affectus vers. 10. à persona Apostoli, qui optime speret in posterum de Galatis: 5. affectus vers. eodem, à consequente pseudo-apostolorum, qui scilicet condemnationem sint ablaturi. vers. 11. nouum argumentum adducit: *Quicunque persecutionem patiuntur & crucem in hoc mundo, illi non habent iustitiam operum ex lege. Atqui Paulus & reliqui Christiani, &c. Ergo, non iustificantur ex operibus legis, sed ex fide in Christum, cuius cruci oportet eos conformes reddi.* Vers. duodecimo, repetit quintum affectum de condemnatione seductorum, eumque exornat voto: *Vtinam abscindantur*! Hactenus prior pars Epistolæ. Sunt autem admonitiones aliæ generales, in genere pertinentes ad vitam Christianam: aliæ speciales, pertinentes ad certas virtutes. Atq; hæ admonitiones, generales scilicet & speciales inter se sunt mixtæ; prout quælibet Apostolo in mentem venit, & prout explicatus stylus solet conformari. Prima

B.

E. generalis admonitio eſt ad libertatem Chriſtianam conſeruandam: altera ad vitandam ſecuritatem carnalem libertati Chriſtianæ oppoſitam. tertiò, ad charitatem erga proximum; cuius argumenta adducuntur, v. 14. & 15. Prim. quod per charitatem proximi tota lex ſcilicet, ſecundæ tabulæ, impleatur, v. 15. 2. argu. ab oppoſito charitatis, quod eſt mutuo ſeſe deuorare & cõſumere, v. 15. 4. adhortatio v. 16. ad vitandas concupiſcentias carnales; argumentum adducitur, v. 17. à proprio carnis, quod concupiſcat aduerſus ſpiritum, qui ſpiritus nos reddat liberos à lege. v. 18. adduntur amplificationes. v. per partes & ſpecies operum carnis, verſ. 19, 20, & 21. Secund., ab effectu horum operum, quod nimirum nos reddant alienos à regno Dei. Tertiò, ab oppoſito operum carnis: nimirum fructus ſpiritus, qui etiam amplificatur. 1. per partes ſeu ſpecies. v. 22. Deinde per effecta, vt eſt in primis regeneratio, quæ deſcribitur verſ. 23. vſque ad finem.

RESOLVTIO Cap. VI.

DVæ etiam ſunt capitis huius partes: prior continuat παράκλησιν ad verſ. 11. poſterior concludit Epiſtolam. Prima παράκλησις eſt ad innocentiam lapſuum fraternorum, quæ amplificatur. 1. Per cauſſam efficientem principalem, quæ eſt ſpiritus manſuetudinis. 2. Per cauſſam προσωποποιΐαν, conſiderationem nimirum propriæ infirmitatis. 3, eſt per effectum. verſ. 2. quia ſic impleatur lex Chriſti. 4, amplificatio eſt per oppoſitum, nimirum præſumptionem, cuius effectum additur ſeductio. Vltima amplificatio eſt per effectum, nimirum bonam conſcientiam verſ. 4. & 5. Altera παράκλησις eſt ad beneficentiam erga doctores & miniſtros Eccleſiæ, verſ. 6. cuius argumenta 2. adduntur. 1. eſt à malo effectu vitij oppoſiti, quod nimirum ſi malefaciamus miniſtris, Deus ita irrideatur. v. 7. 11. argument. ab effectu præmiorum, quia illuſtratur ab ἀντιθέσει pœnarum: Præmia autem & pœnæ exornantur Metaph. ſementis. v. 7. & 8. Additur amplificatio à prolepſi: ſiita liberales ſimus exhauriemur. Reſp. Apoſtolus verſ. 9.

Imò

Imo non exhauriemini, ſed ſuo tempore metetis: verſ. 10. additur amplificatio ab obiecto, cui bene ſit faciendum; quod duplex conſtituitur. 1. generale, omnes homines. 2. reſtrictum, Domeſtici fidei.

Reſtat concluſio epiſtolæ, quæ ſubdiuiditur in recapitulationem dictorum & in votum ſeu comprecationem. Recapitulatio eſt vſque ad verſ. 18. & continet; 1. communicationem cum auditoribus de ſubiecta tractatione: *videtis*, inquit, *quam longa*, &c. Continet aliquot argumentorum repetitionem, cur non debeant moueri pſeudoapoſtolorum concionibus. 1. arg. quia pſeudoapoſtoli metuentes Iudæos & perſecutiones eorum, ſuadent circumciſionem. v. 12. 11. arg. a fine Pſeudoapoſtolorum, vt nimirum poſſint gloriari de Galatis ad circumciſionem adductis. v. [illegible]. quod Argumentum amplificat *ἀπόδειξις*, quod ipſe glorietur in cruce Chriſti, quem declarat effectu regenerationis, quam regenerationem exornat metaph. crucifixionis. 3. arg. verſ. 15. a proprio Chriſtianæ religionis, & eius doctrinæ, quam Chriſtus propoſuit, quod nimirum in ea non valeat circumſio carnis, ſed cordis, quæ dicitur *noua creatio* ſeu *regeneratio*. v. 15. 4. arg. ab effectu doctrinæ de iuſtificatione gratuita, quod nimirum per eam ſit pax ſuper Eccleſiam quam per Synecdochen vocat *Iſraelem*. v. 17. adhibet *ἐπιφώνημα* apoſtolicam, mandans ne quis in poſterum ſit moleſtus, addito argumento a proprio ſuo, quia habeat certa teſtimonia vocationis ſuæ ad Apoſtolatum, quæ teſtimonia exornat metaph. Stigmatum, quę in corpora ſeruorum ſolent exuri. v. 18. addit votum apoſtolicum, in quo duo ſunt. 1. bonum optatum. & 2. cui optetur. Bonum optatum eſt gratia Chriſti, de qua ſupra. Cui optatur, eſt ſpiritus Galatarum. Additur confirmatio per Hebræum *Amen*: & v. 9. inſcriptio, cui debeatur Epiſtola, & ſubſcriptio vnde data ſit, nimirum Româ, ſubijcitur.

FINIS.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.

TYPOGRAPHVS
Lectori benevolo
S.D.P.

VM paginæ nonnullæ poſt *Gymnaſium Logicum* hoc clariſſ. doctiſſimique viri *Bartholomæi Keckermanni* vacaturæ eſſent; nobis autem per fauorem quendam Dei ſingularem *tabulæ* duæ autoris eiuſdem; *Logica*, ſiue *Dialectica* vna, *Rhetorica* altera, porrectæ fuiſſent, eas in gratiam tuam hic addere, quam tibi paginas aliquot vacuas offerre, maluimus. Etenim cum tabulas illas materiæ præcedenti conuenientiſſimas maximeque conſentaneas eſſe minimè dubitaremus; teq; iccirco fructum ex ijſdem non parvum, ſed potius longe maximum percepturum nobis planè cum viris aliquot alijs eruditionis non vulgaris exiſtimaremus; aliter facere vt non potuimus, ita quoq; non debuimus, quam vt earum te vna cum *Gymnaſio Logico* participem faceremus. Nos te viciſſim ſtudium ſtudiorum tuorum iuuandorum & promouendorum noſtrum animo non ingrato accepturum fore confidimus. Quod ſi per te factum fuiſſe perſpexerimus, in alijs, quæ momenti maioris ſint, diligentiam quoq; noſtram non deſiderabis. Vale. Ex typographeo noſtro Hanouienſi, An. 1605. menſ. Sept. die 6.

ELO-

- Secundaria & adstricta siue Textualis, cum pro argumento Orationis tractandum suscipimus aliquem Auctoris sacri, vel profani Textum siue Locum
  - Prolixiorem, vt integrum co
  - Breuiorem, siue vnicam alic tentiam, qualia in Colleg
- Resolutio Orationum ab alijs formatarum
  - Nuda. Resoluentur autem Orationes omnes eo ordine, quo supra earundem Formatio delineata est, vt primo proponantur resoluendæ Orationes Thematũ simplicium, pòst Coniunctorũ, & sic deinceps; sunt autem Orationes ab Auctoribus scriptæ ithlo siue genere dicendi
    - Mediocri; humile enim familiaribus colloqui magis, quam Oration
    - Grandi.
  - Coniuncta, cum imitatione præstantium Oratorum, & obseruatione singularis art Gelliani, cuius mentionem Gellius facit lib. 17. c. 2.
- Modus, quo institui rectè & fructuosè possit, vbi requiritur certa determinatio
  - Ordinis seu processus, in quo spectandus Collegij seu palestræ Oratoriæ
    - Moderator siue Director & Præses, cuius istæ sunt partes, vt
      1. Certum delectum & ordinem instituat inter studiosos
      2. Materias exercitiorum Eloquentiæ suppeditet secundu
      3. Materias formandarum orationum non tantum nudè
      4. Vbi prior pars curriculi, ea nempè, quæ impendetur ar ris, quæ resoluenda sit, & breuiter ac velut obiter (no
      5. Censores ex Eloquentiæ studiosis septem nominet, qu
      6. Dum Oratio habetur, notet errata & defectus in Tract
      7. Censuras ex ordine requirat, & si quid benè à censore
      8. Pòst auditas omnium discipulorum (nempè illorum se qui peroravit, quæ recta sunt, laudet; errata autem & est, Inuentione, Dispositione, Exornatione, pòst, in P
    - Collegij particeps, qui vel
      - Palæstrita siue is qui se exercet, cuius partes sunt, vt
        1. Logicæ & Rhetoricæ præcepta mediocriter norit;
        2. Materiam exercitij & eius dispositionem meditetu
        3. Det operam sedulò, vt orationem totam memoriâ
        4. Tempore constituto ad habendam orationem, ita
        5. Concensa cathedra peroret ita, vt & gestum omne
        6. Habita oratione egressus auditorio præstoletur, dum
        7. Reuocatus censuram Præsidis audiat, & quæ desider
        8. Domum reuersus orationem suam de integro recog
      - Tacitus
        1. Etiam paratus accedat; & Orationem adornatam à se &
        2. Diligenter attendat Orationi isti, quæ habetur: & secum
        3. Orationem suam scriptam cum ea, quam audit, sollicitè i
        4. Pòst censuras diligenter obseruet, & secundum eas à Præ
      - Censor; censores in singulas vices deligentur septé his legibus:
        1. Qui ex ordine censor à Præside delectus & nominat nus ac is qui censendus est.
        2. Cum oratio recitatur, attentissimè singula examine Exornationem, Votem denique & Gestus.
        3. Si quid audiat, quod à præceptis & regulis Rhetori
        4. Oratione habita, vbi à Præside ad censuram dicend & contra quæ præcepta & regulas artis putet esse pe
        5. Quæ vero ab antecessore suo iam ante censeri & mo

- Modus, quo institui rectè & fructuosè possit, vbi requiritur certa determinatio
  - Ordinis seu processus, in quo spectandus Collegij seu palestræ Oratoriæ
    - Moderator siue Director & Præses, cuius istæ sunt partes, vt
      4. Vbi prior pars curriculi, ea nempè, quæ impendetur
      5. Censores ex Eloquentiæ studiosis septem nominet, q
      6. Dum Oratio habetur, notet errata & defectus in Trac
      7. Censuras ex ordine requirat, & si quid benè à censore
      8. Pòst auditas omnium discipulorum (nempè illorum qui peroravit, quæ recta sunt, laudet; errata autem est, Inuentione, Dispositione, Exornatione, pòst, in
    - Collegij particeps, qui vel
      - Palæstrita siue is qui se exercet, cuius partes sunt, vt
        1. Logicæ & Rhetoricæ præcepta mediocriter norit
        2. Materiam exercitij & eius dispositionem meditet
        3. Det operam sedulò, vt orationem totam memori
        4. Tempore constituto ad habendam orationem,
        5. Concensa cathedra peroret ita, vt & gestum om
        6. Habita oratione egressus auditorio præstoletur, du
        7. Reuocatus censuram Præsidis audiat, & quæ desid
        8. Domum reuersus orationem suam de integro rec
      - Tacitus
        1. Etiam paratus accedat; & Orationem adornatam à se
        2. Diligenter attendat Orationi isti, quæ habetur: & secu
        3. Orationem suam scriptam cum ea, quam audit, sollicitè
        4. Pòst censuras diligenter obseruet, & secundum eas à Pr
      - Censor; censores in singulas vices deligentur septé his legibus:
        1. Qui ex ordine censor à Præside delectus & nomina nus ac is qui censendus est.
        2. Cum oratio recitatur, attentissimè singula examin Exornationem, Votem denique & Gestus.
        3. Si quid audiat, quod à præceptis & regulis Rhetor
        4. Oratione habita, vbi à Præside ad censuram dicen & contra quæ præcepta & regulas artis putet esse p
        5. Quæ vero ab antecessore suo iam ante censeri & m

- Inchoari. Vtile omninò est & studijs eloquentiæ accommodatum, vt Exercitiorum O ad Themata simplicia secundum artem Logicam explicanda auditores assuefacti fuer mata simplicia Oratoriè tractanda, & ita deinceps per conuenientem & conforme esse priorem Rhetoricâ, & idcirco quoque ante eam disci & exerceri debere. Quapr sibus circiter sex pòst Paschæ, quo Collegium Logicum supra monuimus esse auspic citium Logicum incidat in illum, quem nominauimus, Mercurij diem, proximè pr nostrum Oratorium hac vice anticipat, pergemus nihilominus in instituto, dum prin
- Continuari; ita nimirum, vt
  1. Materia & Dispositio Orationis à Præside tradatur di Septembris, dispositio fuerit tradenda circiter 13. S
  2. Potest autem dispositio, vel in charta describi à Præs si disputatio nulla sit, vel alia aliqua extraordinaria h
  3. Die ergo Mercurij hora nona oratio habeatur.
- Temporis; quo curriculum hoc Exercitiorum Oratoriorum debeat
- Finiri; Spatio nempe Triennij: Plus enim temporis ad Collegium Oratorium requiritur, quam ad Logicum, quia maior in Rhetoricis est materiarum & Exerci-

- tes sunt, vt
  6. Habita oratione egressus auditorio præstoletur, dum
  7. Reuocatus censuram Præsidis audiat, & quæ desider
  8. Domum reuersus orationem suam de integro reco
- Collegij particeps, qui vel
  - Tacitus
    1. Etiam paratus accedat; & Orationem adornatam à se &
    2. Diligenter attendat Orationi isti, quæ habetur: & secum
    3. Orationem suam scriptam cum ea, quam audit, sollicitè i
    4. Pòst censuras diligenter obseruet, & secundum eas à Præ
  - Censor; censores in singulas vices deligentur septé his legibus:
    1. Qui ex ordine censor à Præside delectus & nominat nus ac is qui censendus est.
    2. Cum oratio recitatur, attentissimè singula examin Exornationem, Votem denique & Gestus.
    3. Si quid audiat, quod à præceptis & regulis Rhetori
    4. Oratione habita, vbi à Præside ad censuram dicen & contra quæ præcepta & regulas artis putet esse p
    5. Quæ vero ab antecessore suo iam ante censeri & m
- Modus, quo institui rectè & fructuosè possit, vbi requiritur certa determinatio

Inchoari. Vtile omninò est & studijs eloquentiæ accommodatum, vt Exercitiorum O ad Themata simplicia secundum artem Logicam explicanda auditores assuefacti fuer mata simplicia Oratoriè tractanda, & ita deinceps per conuenientem & conforme esse priorem Rhetoricâ, & idcirco quoque ante eam disci & exerceri debere. Quapr sibus circiter sex pòst Paschæ, quo Collegium Logicum supra monuimus esse auspic citium Logicum incidat in illum, quem nominauimus, Mercurij diem, proximè pr nostrum Oratorium hac vice anticipat, pergemus nihilominus in instituto, dum prim

Continuari; ita nimirum, vt
1. Materia & Dispositio Orationis à Præside tradatur die Septembris, dispositio fuerit tradenda circiter 13. Se
2. Potest autem dispositio, vel in charta describi à Præsi si disputatio nulla sit, vel alia aliqua extraordinaria h
3. Die ergo Mercurij hora nona oratio habeatur.

- Temporis; quo curriculum hoc Exercitiorum Oratoriorum debeat
- Finiri; Spatio nempe Triennij: Plus enim temporis ad Collegium Oratorium requiritur, quam ad Logicum, quia maior in Rhetoricis est materiarum & Exercitiorum copia & varietas, vt ex delineationum collatione apparet; & quia ad exercitia Rhetorica plus requiritur operæ; in Logicis enim sola explicatio & probatio, & horum Methodus spectatur, in Rhetoricis præterea spectatur amplificatio, ornatus, vox, gestus. Seruabitur autem istorum triginta Mensium circiter, qui collegio Oratorio impendentur, certa distributio secundum Materiarum & exercitiorum proportionem; vt nempè tribuantur Orationibus

integrum conextum ex Aristotele, Cicerone, Platone, Plinio, Plutarcho, &c.

e vnicam aliquam argutam ac scitam sen- lia in Collegio Oratorio proponentur
- 1. Emblemata Alciati, & aliorum acutiora.
- 2. Symbola Heroum acutiora & efficaciora.
- 3. Apophthegmata { Heroum. / Philosophorum.
- 4. Gnomæ.
- 5. Chriæ.

umile enim dicendi genus / us colloquijs & Epistolis / am Orationibus conuerit
- Prolixiorum siue laxiorum, quas forenses vocant in auctoribus { Veteribus: Cicerone, &c. { Mureti, P. Rami, Perpiniani, } & aliorum clarorum oratorum. / Recentibus; vbi vna & altera resoluetur ex orationibus:

Et vtrumq;
- Strictiorum & magis Laconicarum, quas Senatorias, & Imperatorias vocant: ex { Veteribus · Liuio, Salustio, Tacito. / Recentibus: Bonfinio, Buchanano, Cominæo, Guicciardino, &c.

ingularis artificij, quo ili vsi sunt in verbis & rebus, atq; adeo in tractatione & exornatione, ad morem Collegij

er studiosos Eloquentiæ, & singulorum nomina ac profectum habeat exploratum.
itet secundum ordinem & delineationem, supra hoc fine factam.
ntum nudè indicet, sed & Dispositionem breuem Eloquentiæ studiosis ad calamum tradat.
pendetur artificio formandarum & habendarum Orationum, exacta fuerit, nominabit Orationem certi auctot obiter (non dictandam ad calamum) indicet Orationis Thema, & artificium Auctoris.
nominet, qui proximi exercitij censuram agere debeant.
ctus in Tractatione, & Pronunciatione ac Gestu.
nè à censore obseruatum sit, comprobet; si quid secus, censorem moneat.
pè illorum septem, qui delecti sunt) censuras, perspicuam & fidelem censuram Orationis instituat, audiente eo,
rata autem & defectus ordine secundum artis Rhetoricæ seriem & regulas recenseat; primo, in Tractatione, id
ne, post, in Pronunciatione & Gestibus.

criter norit; hæ enim artes arctè deuinciuntur.
m meditetur diligenter ornato, Orationem formet secundum artis præcepta & regulas.
m memoriâ comprehendat.
ationem, ita vt decet, ornatus accedat.
gestum omnem ac statum corporis, & vocem ad normas artis accuratè conformet.
stoletur, dum Præses reuocandum curet.
quæ desiderata fuerunt, annotet.
ntegro recognoscat, & iuxta auditam censuram singula mutet & emendet.

natam à se & scriptam habeat, non minus ac is, cui ea pro tempore habenda & recitanda est.
tur: & secum iudicet, vtrum secundum artis præcepta vel scripta sit, vel recitetur.
it, sollicitè inter audiendum conferat, considerans vbi & in quibus melior sit, aut deterior.
um eas à Præside repetitas & dictas orationem suam, vbi domum redierit, emendet.

s & nominatus fuerit, primis præmeditatus accedat, & suam quoque orationem in parato habeat, non mi-

gula examinet, nempe Materiam, id est, verba & res; deinde Formam siue Dispositionem, Tractationem,
ssus.
ulis Rhetoricis discrepet, vel memoriâ, vel palimpsesto tectè annotet.
ûram dicendam prouocatus fuerit, perspicuè, methodicè & ingenuè indicet, quid in ea Oratione desiderarit;
putet esse peccatum.
enseri & moneri audiet, ea prætereat.

mpendetur artificio formandarum & habendarum Orationum, exacta fuerit, nominabit Orationem certi auctot obiter (non dictandam ad calamum) indicet Orationis Thema, & artificium Auctoris.
nominet, qui proximi exercitij censuram agere debeant.
ctus in Tractatione, & Pronunciatione ac Gestu.
nè à censore obseruatum sit, comprobet; si quid secus, censorem moneat.
npè illorum septem, qui delecti sunt) censuras, perspicuam & fidelem censuram Orationis instituat, audiente eo,
rata autem & defectus ordine secundum artis Rhetoricæ seriem & regulas recenseat; primo, in Tractatione, id
one, post, in Pronunciatione & Gestibus.

iocriter norit; hæ enim artes arctè deuinciuntur.
nem meditetur diligenter ornato, Orationem formet secundum artis præcepta & regulas.
tam memoriâ comprehendat.
rationem, ita vt decet, ornatus accedat.
t gestum omnem ac statum corporis, & vocem ad normas artis accuratè conformet.
æstoletur, dum Præses reuocandum curet.
quæ desiderata fuerunt, annotet.
integro recognoscat, & iuxta auditam censuram singula mutet & emendet.

ornatam à se & scriptam habeat, non minus ac is, cui ea pro tempore habenda & recitanda est.
etur: & secum iudicet, vtrum secundum artis præcepta vel scripta sit, vel recitetur.
udit, sollicitè inter audiendum conferat, considerans vbi & in quibus melior sit, aut deterior.
dum eas à Præside repetitas & dictas orationem suam, vbi domum redierit, emendet.

us & nominatus fuerit, primis præmeditatus accedat, & suam quoque orationem in parato habeat, non mi-

ngula examinet, nempe Materiam, id est, verba & res; deinde Formam siue Dispositionem, Tractationem,
Gestus.
egulis Rhetoricis discrepet, vel memoriâ, vel palimpsesto tectè annotet.
nsuram dicendam prouocatus fuerit, perspicuè, methodicè & ingenuè indicet, quid in ea Oratione desiderarit;
tis putet esse peccatum.
e censeri & moneri audiet, ea prætereat.

ercitiorum Oratoriorum initium fiat tum, quando exercitia Logica aliquousque fuerint progressa, ita vt cum ssuefacti fuerint in Collegio Logico, deinceps in Collegio Oratorio exerceantur & assuefiant ad eadem the- & conformem quandam vtrorumque exercitiorum successionem. Certum est enim Logicam ordine naturæ bere. Quapropter postea consultum fuerit Collegij Oratorij auspicium fieri, mense Septembri, id est, men- s esse auspicandum; dominicum Mercurij, eo qui proximè præcedit festum Michaëlis. Quod si autem Exer- proximè præcedens Mercurij dies substitui potest. Interim, quia ob graues & necessarias causas Collegium to, dum primus hic cursus oratorius finiatur.

e tradatur diebus ad minimum quatuordecim ante orationem recitandam; vt, si oratio habenda sit, e. g. 28. circiter 13. Septembris.
scribi à Præside & in auditorio publicè affigi, vt omnes describere possint, aut alioquin die Sabbati hora nona, raordinaria hora ad calamum dictitari.
eatur.

- Formandis habendis
  - Libris; vbi quidem tribuuntur menses
    - 4. Thematibus singularibus describendis.
    - 2. Thematibus vniuersalibus.
    - 3. Laudationibus & vituperationibus.
    - ½. Motui pœnitentiæ.
    - 3. Gratulationi.
    - 2. Adhortationibus.
    - 2. Deliberationi solitariæ.
    - 2. Deliberationi sociatæ siue consilijs habendis.
    - 2. Petitioni & intercessioni.
    - ½. Lamentationi & deprecationi.
    - 2. Consolationi.
    - 2. Dehortationi.
    - ½. Inuectiuæ.
    - 1. Accusationi.
  - Textualibus, menses quatuor.

um re- Exerci- ad ex- & pro- nplifi- circi- teria-

Resoluendis Ciceronis & aliorum auctorum celebrium orationibus quinque Menses tribuentur. Quod reliquum erit temporis impendetur exercitijs extemporalibus, vt studiosi Eloquentiæ quoque assuefiant ex tempore differere de thematibus simplicibus & coniunctis, ex tempore aliquid laudare, alicui gratulari, aliquem consolari, accusare, &c.

ercitiorum Oratoriorum initium fiat tum, quando exercitia Logica aliquousque fuerint progressa, ita vt cum

ELOQVENTIÆ STVDIOSIS S.

INGENS planè ac singulare hominis decus ingenium est & iudicium: Sed vtriusque illustre ac necessarium lumen Eloquentia, quà nempe arcanam suam & intus abditam lucem foras spargit mens humana, & radijs splendet in omnem vitæ partem pulcherrimè micantibus. Dignitatem solis & cælestium corporum nec nosset quisquam, nec miraretur, ni iucundissimæ lucis suæ radijs & semetipsa collustrarent, & sub se mundum hunc vniuersum: Ita nec animæ humanæ augustam præstantiam satis aut scire possemus, aut æstimare, ni imaginem eius sermo nobis & oratio pingeret, & ni facundiæ atque eloquentiæ radijs luceret flammula illa & lux accensa in nobis ab æterna illa luce: sic enim hominis animam definiuerunt sapientissimi quiq; veterum. Vt iam id pro rato esse debeat, duos hos esse studiorum nostrorum omnium & totius eruditæ doctrinæ scopos ad quos collimare debeamus, Rerum *nempe* præclararum notitiam; & cognitarum Elocutionem *σύνεσιν Græci dicunt & δύναμιν ἑρμηνευτικὴν. Quæ vtraq; liberalis institutionis me-*

ta etiam constituitur apud Thucydidem sapientissimum Graciæ scriptorem lib. 2. nempe γνῶναι τὰ δέοντα καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα, vt cognoscamus, quæ scitu digna & necessaria sint, atque eadem sermone interpretemur. Ac res quidem ipsas, quæ vel ad contemplationem tantum, vel ad vitam etiam & mores pertinent, tum Philosophia tradit, tum tres istæ summæ, quas appellamus Facultates, mentem nempe regente & docente arte logica, vt explicate & vere & methodice singula possit comprehendere. Sermonem vero in nobis natura format, & consuetudo, si vernaculus sit; si peregrinus, Grammatica: sed ita solum format, vt suis sit syllabis & sua collatione congruus: vt vero perspicua sit oratio & ambigui expers, vtque mentem distincte, vere atque ordine doceat logica iterum efficit, quæ vt mentem ipsam, ita orationem quoque gubernat, quatenus ea Rationis est imago & signum. Sed cum in homine non sola mens habitet & Ratio, sed & voluntas & affectus; idcirco non Rationis tantum imago est oratio, sed & interpres ac nuncia voluntatis, & affectuum regina, quæ in omnem partem sciat, vel concitare animum, si opus sit, vel blande leniterque ducere ac demulcere, vt non immerito flexanimem Suadam veteres appellarint.

Quatenus ergo cor hominis tangit & afficit oratio, quatenus animum vel impellit, vel pellicit ad quidquid noscendum, credendum, agendum, eatenus tota ad Rhetoricen pertinet & ad Poesin: sed ad Rhetoricen imprimis: Poetica enim

enim velut ſoboles eſt Rhetorice, & Orationem numeris ſtrictioribus vincit, animumque ac cor perpetuis illecebris monet, non tam per ea, quæ verè ſunt, quàm quæ verorum quadam ſimilitudine & imitatione fingurtur. Vt igitur ſuliam facile examinet is, qui matrem habet propitiam: ita Poeſin is facile diſcet, qui Rhetorica fuerit apprime peritus, niſi forte ab omni naturæ impetu atque inclinatione penitus deſtituatur. Erit autem, quod amicor & opto, tempus, cum aliquod etiam Poeticum in hac ſchola Collegium, volente Deo, inſtituetur ad oratoriæ huius ſiue Rhetoricæ non plane diſſimilem formam. Iam porro, quia ratio prior eſt voluntate & affectu; neque enim vlla eſſe poteſt ignoti voluntas aut cupido, & quia eadem ratio prior eſt oratione, idcirco neceſſe fuerit Logicam, quæ rationi præeſt, & natura, & inſtitutione priorem eſſe Rhetorica, tanquam quæ ſeruit orationi conformande ad commotionem voluntatis & affectuum. Vt mirum non ſit, ſi experientia teſtetur, neutiquam optato fructu Rhetoricen diſcere eos, qui Logicorum adhuc præceptorum rudes ſunt & imperiti: Prius enim intelligas oportet id, de quo velis dicere, antequam dicere rectè poſſis. Prius manum habeas oportet, antequam eam explices atque exporrigas; neque aliud amplificat, aut exaggerat Rhetorica, quam quod prius Logicæ artis regulis mens noſtra prehenderat & velut concinnarat: Rhetorica amplificationum, Figurarum & Actionis ſuauibus ac pulchris coloribus pin-

git; ſed id pingit, quod Logica ſuo prius ſubtiliori & diſtinctiori penicillo adumbratum formarat. Nec aliud eſt Rhetorica magna ſui parte, quam accuratiſſimi illius, & à puram mentem ſine notitiam deſinata artificij Logici in explicando, in probando, in diſponendo quadam velut inflexio ad notitiam popularem & ad affectum. Explicat enim probat, & diſponit res Logicas ſimpliciter & abſolute, pro cuiuſque rei natura quam accuratiſſime & diſtinctiſſime. Explicat etiam, & probat, & diſponit Rhetor, ſed non omnes eas res, quas Logicus, nec ita vt Logicus neque enim puram illam mentem, aut exactum illud atque ab omni affectu liberum iudicium ſpectat Orator: quin potius artificium omne ſuum accommodat ad populi cuiuſdam captum & notitiam, & id ex artis ſuæ præſcripto ſemper agit vt talia proponat, quæ vltro ſe ingerant. & obnia quadam facilitate audiendi attentionem concilient, & auditoris animum non occupent ſolicite, ſed blande prolectent atque demulceant: Idcirco nec definit rem accurate, nec dimidit, nec cauſſas primas meditate inquirit, nec ex omnibus ſimul locis Logicis rem vel declarat exquiſite, vel demonſtrat: ſed vbi rem ſimpliciter pro auditoris captu, & breuiter decurrit, atque ex omni numero explicationis & probationis argumenta ſelegerit, quæ iudicat eſſe præſenti perſonæ, loco, & tempori accommodata, continuo ſe conuertit ad auditoris voluntatem, & affectus, atque expromptis omnibus ſuis amplificandi, exornandi, agendi artificiis, id & vultu & oculis, & toto corpore conatur, vt cor auditoris feriat,

riat, atque in eo vel lætitiam, & gaudium excitet, vel iram & dolorem & odium concitet, vel misericordiam eblandiatur. Itaque quod præcipuum est & maximum, ac plane diuinum Logicæ artis opus, accurate nempe & methodice docere, id Orator nec semper, nec præcipue quærit. Quam esse summorum & vetustissimorum authorum de Rhetorica sentẽtiam testatur Rodolphus Agricola libro primo de inuent. capite primo: Nec me præterit, *inquit*, maximis auctorum placuisse, tria esse quæ perfecta oratione fiant, vt doceat, vt moueat, vt delectet; & docere quidem rem facilem esse, & quam quisque tantum non incertissimæ mentis præstare possit: Concutere vero affectibus audientem, & in quemcumque velis animi habitum transformare, allicere item audiendique voluptate tenere suspensum, non nisi summis & maiori quodam Musarum afflatu instinctis contingere ingenijs. *Inde nimirum est, quod Rhetoricen suam his verbis orditur Aristoteles,* ῥητορικὴ ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ: *Rhetorica ad Dialecticam sese refert, & ei correspondet, & capite secundo libro primo:* συμβαίνει τὴν ῥητορικὴν οἷον παραφυὲς τῆς διαλεκτικῆς εἶναι. Rhetorica est quoddam annatum siue accrementum, aut quædam velut lacinia Dialecticæ.

Quod quidem propterea ad hanc Oratorij collegij designationem affari libuit, vt consilij & instituti huius ratio constet, cur in Oratoriarum exercitationum circum eos vocandos existimem, qui & præcepta Logicæ norint, & in Logicorum exerci-

tiorum ſtudio aliqui vſquè ſint progreſſi. In quo ſane vtroque, Logicarum nempe & Oratoriarum exercitationum, circo, ſuis cancellis, ordinibus, interuallis ac metis ſollicite & diſtincte deſcribendo, nihil ſpectare aliud tum potui, tum debui, quam ſtudioſæ iuuentutis commoda atque vtilitates: Quæ quidem quot, & quales ex illo, cuius nunc præſidem Tabulam deſignatoriam *publice exhibui. Logico collegio ſperari poſſint, ſuo tum loco oſtendimus. De Oratoriis vero & Rhetoricis exercitijs, quæ neſcio quare, inquit Sturmius, Latinis placuit* Declamationes *vocare, id tam per omnes vbique Scholas in confeſſo eſt, ſummam eſſe horum inſtituendorum neceſſitatem, & inſtitutorum vtilitatem.* Declamandi ratio, *ait Quintilianus libro ſecundo,* ita eſt celebrata, vt pleriſque videatur ad formandam eloquentiam vel ſola ſufficere: *Et idem ille, quem proxime citabam,* Iohannes Sturmius, *quem Germania vniuerſa velint quendam in literalis inſtitutionis & ſcholarum regimine ac moderatione* Solonem *merito veneretur & ſuſpiciat:* Vanus, *inquit,* primum tempus docendi, locumque primum Grammatico: qui fundamenta ponit ſermonis puri: Secundum locum Dialectico & Rhetori: quorum alter veritatis regulas tradit; alter dicendi explicat diuitias. *Et alio loco:* Sine declamandi ſcribendiue conſuetudine nihil præclari in literis effici poteſt. *Et exſtant in libello eius de art. liberal. Diuiſione, verba digna penitus mihi viſa, quæ in hac tabula ante oculos Iuuentutis ſcri-*

ſcriberentur: Rerum artes ſunt illæ, quarum domicilium in ſcholis philoſophorum eſt, quas armamentarium dicimus eſſe Rerumpublicarum: Harum omnium ancillæ ſunt, quę in alio genere latent rerum, & Logicæ nuncupantur, propterea quod ad Orationis & ſermonis pertinent præcepta: ſine quibus neque Mathematicus ſua docere poterit, neque Iuriſconſultus ſuas poterit defendere leges, & Theologus abſque his ad populum nihil præclare efficiet, neque aduerſus Hæreticos tuebitur Eccleſiam. *Omnes hæ artes neceſſariæ ſunt in Reipb. quarum vna puritatis eſt, altera veritatis, tertia eloquentiæ. Eſt enim Grammatici officium pure orationis præcepta & quaſi regulas tradere: & Dialectici concluſiones veras a falſis diſtinguere, & argumentationum genera explicare, quibus neceſſaria a probabilibus, perpetua a caducis, integra a corruptis ſeparentur. Sed hanc Rhetorcs veritatem exornant ſplendidam, defendunt fortius, commendant ſuauius, & efficiunt, vt quare homines cæteris præſtant animantibus, eadem re homo hominem anteceđat, ita vt nullum admirabilius videatur eſſe hominis inuentum & opus, quam diſerta & eloquens prudentia, ſiue prudens & ſapiens eloquentia. Et ſane ita eſt, niſi iſta in ſcholis exercitia vigeant, conſtanter & conſeruentur, vereri oportet, ne aliquando & Eccleſia pro ſuggeſtis Doctores, & Reſpublica Iudices, Conſiliarios, Iuriſconſultos, Legatos, Aduocatos, Sbola denique ipſa pro Cathedris profeſſores & præceptores habeant, aut*

parum diſertos, aut planè etiam elingues. Sapientia autem, & peritia rerum, atque experientia, quantumuis excellens, quantumuis immenſa, ſi tamen elinguis ſit, & muta, non poteſt eſſe humanæ ſocietati vtilis magnopere & ſalutaris. Pudeat eos qui ita ſe literis abdiderunt, vt nihil poſſint ex his, neq; ad communem afferre fructum, neque in aſpectum lucemque proferre, voce ſeria contendit Cicero in Oratione pro Archia, & ſecundo de Oratore: Dicere, *inquit*, & docere magnum eſt quoddam opus, atque haud ſcio, an de humanis operibus longe maximum. *Nec verbis tantum Latina facunda parens ac princeps ad eloquentiæ ſtudia atque exercitia inuitat, ſed & exemplo præit, & ſequentes pellicit, obnitentes trahit. Anno enim ætatis ſuæ decimo ſeptimo primum ac ex ephebis exceſſit, & togam virilem ſumpſit ad eloquentiæ exercitationes ſerias omnino & ſirennas acceſſit: Duobus primis annis Oratores vndecim publice in collegijs oratoriis docentes, & pro Roſtris dicentes magna attentione, & ad imitandum obſeruatione audiuit, quos quidem omnes & nominat in Bruto, & ſuis quemque virtutibus depingit. Nec audiebat ſolum eos, ſed ipſo illo tempore acerrimo ſtudio quotidie legebat omnium, quos habere poterat, Oratorum orationes, & ad earum formam atque ſimilitudinem orationes ipſe in ea ætate pangebat, & quarto quidem anno, (nam tertio anno tyro Tullius fuit in exercitu Cnei Pompeij) Sulpitij in tribunatu quotidie concionantis genus dicendi natura*

ſua

ſuæ inprimis accommodatum ita animo concepit, vt poſſet imitatione exprimere. Anno quinto curriculi ſui Moloni Rhodio operam dedit & actori ſummo cauſſarum & magiſtro: Triennio deinde proximo aliquot nobiles Oratores iterum audiuit, & in his præcipue Hortenſium, quem vnum præ cæteris imitandum ſibi propoſuerat. Et illo quidem tempore Philoſophiam quoque auide didicit, ſed ita, vt ab exercitationibus oratoriis nullus ei dies vacuus eſſet. Contendebatur cum M. Piſone, & Qu. Pompeio Latine & Græce declamitans: hoc enim tum verbum vſurpari cœptum eſt. In ſumma, Cicero Logicis, Philoſophis, Iuriſconſultis & Oratoribus præcipue audiendis, eorumque virtutibus imitandis lectione, commentatione, ſcriptione, declamatione Græca & Latina decem annos impendit. Græcè ad præturam vſque declamauit, Latine etiam ſenior, inquit Suetonius. Videtis, eloquentiæ ſtudioſi, Oratorium Ciceronis collegium, & hominis cui Latina lingua materna fuit, tam vigilans, tam obſtinatum excolendæ orationis ſtudium, & partitas ac diſtinctas Philoſophiæ, & Eloquentiæ exercitationes. Quâ quidem in partitione ſtudiorum, ac diſtributione exercitationum ſuarum Cicero, vt omnino exiſtimo, Ariſtotelis conſilium & inſtitutum eſt imitatus. Ariſtoteles enim, quod in eius vita legimus, publicas ſuis Peripatés prælectiones & exercitationes in Matutinas diuidebat, & Pomeridianas: ac matutinis quidem horis ſiue antemeridianis res ipſas docebat & Philoſophiam: pomeridianis autem eloquentiæ præcepta auditoribus

bus explicabat, & exercitia proponebat, audiebat. Academici enim & Peripatetici veteres cum philosophia perpetuo coniungebant eloquentiæ studia, & sese hoc etiam tam salutari instituto à Stoicis seiungebant, qui Philosophiam tantum colebant, ornamenta orationis superciliose aspernabantur: linguam videlicet amputantes, vt cordi prodessent: hinc nimirum eorum Philosophiam spinosam, strigosam, aridam aduertas, si ad Platonicam & Peripateticam conferas, in qua aureum illud labebatur orationis flumen, de quo Cicero testatur.

Hoc ergo Platonicum, hoc vero Aristotelicum & Ciceronianum copulandi cum Philosophia Eloquentiæ institutum pressis ac sollicitis vestigijs sequamur, eloquentiæ studiosi. Non versetur schola nostra in Zenonis spinis ac dumetis, sed in spatijs Platonis atque Aristotelis, & Ciceronis, dignissimorum virorum, ad quorum normas & exempla institutionem nostram conformemus. Conformabimus autem, non omnino, quod spero & voueo, infeliciter, si eum præceptorum & exercitiorum cursum teneamus, cuius viam, atque iter omne & interualla & metam altera iam Tabula *designamus, in qua quidem Oratoriorum Exercitiorum partitionem, ordinem, successionem, & terminos omnes sum conatus describere. Quæ sane res, quam non exiguo labore & meditatione constiterit, illi iudicabunt, qui norunt, quid in materiarum oratoriarum ordine ac dispositione merito huc vsque fuerit desideratum, & qua ἀμεθοδία*

in

in Rhetoricis ſit laboratum, vt omnino gratiam aliquam mihi à bonis ingeniis & moderatis hominibus ex hac quoque diſciplina auſim deſponderè: vbi præſertim id quod & affectum iam eſt in hoc lucubrationum genere, & magna parte elaboratum, cum Eloquentiæ ſtudioſis, Deo benedicente, communicauero. Et volebam quidem hic aliquid de tota rei ſumma dicere, & ſententiam meam explanare de recepto ordine quatuor illarum claſſium, in quas Rhetores genera cauſſarum, id eſt, omnia Themata Oratoria digeſſerunt: Sed quia video ſub manu nimis creſcere hanc meam ad Lectorem παραίνεσιν, idcirco quæ de tota artis oratoriæ conformatione, vt & de conſcribendarum epiſtolarum, in quo multi hodie ſudant, artificio dicere habeo, in alterius temporis & loci opportunitatem exiſtimani eſſe differenda. De ceteris tamen id non poſſum quin moneam, viſas mihi eas, vt in omni exercitiorum genere, ita præcipue in his oratoriis vehementer vtiles ac neceſſarias, quod ipſa, ſpero, experientia temporis ſucceſſu pro me loquetur. Secutus equidem in eo ſum exemplum Collegij in aliis locis ſapienter conſtituti, & videtur omnino tale quid etiam collaudaſſe Iohannes Sturmius *in epiſtola claſſica ad Leonardum Hertelium libro ſecundo. De ſubito & extemporario perorandi exercitio ita ſentio, non eſſe id temere inſtituendum, niſi cum iam auditores fuerint in orationibus domi dextre meditandis idonee exercitati: in quo eiuſdem Sturmij conſilium ſequor*

libro

libro de literarum ludis aperiendis, capite vigesimo quarto, & in constitut. Sch. Lavingita ait: Aliquid audere decet laudabilius,& dato spatio ad deliberandum,proposito argumento,quasi subito de re proposita dicere, *&c.*

Lugduni in Gallia ad confluentem Araris & Rhodani olim eloquentiæ Schola fuit instituta à Græcis, qui eò exules confugerant, quam recordatione patriæ suæ novas Athenas *appellarunt. Nomen adhuc retinet, inquit Antonius Pinetus in descriptione vrbium, & mutilato vocabulo* Enæ, *pro* Athenæ *appellatur. Iulius Cæsar eo loco aram extruxit, ad quam Græca simul & Latina facundiæ certamina quotannis fierent: ita quidem, vt victor amplissimis coheneſtaretur muneribus, victus vel lingua suæ accusationis formulam deleret: vel in vicino Arare ter mergeretur, vide illud Iuuenalis:*

Palleat vt nudis qui pressit calcibus anguem,
Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Rigida ista fuit & seuera nimis Eloquentiæ exercitatio: at nostra hæc, etsi censuras quoq; suas toleratura est, plena tamen interim futura est liberalis mansuetudinis, beneuolentiæ, amoris. Et confido plane, fore, vt, quia in toto hoc proposito vtilitatis publicæ rationem secuti sumus, animo nostro, & labori & voto respondeat euentus. Quod quidem

dem in veſtrâ, ſtudioſi Eloquentiæ, alacritate, ſtudio, diligentia & perſeuerantia ſitum eſſe, facile omnes intelligitis. Tu, fili Dei, qui es Verbum æterni Patris, & qui ipſe oratorem egiſti in terris, & potenter atque efficaciter inter homines es locutus, fac in hac quoque Schola Eloquentiæ ſtudia ita tractentur & floreant, vt tibi ſint gloriosa, Eccleſia vero & Reipublicæ ſalutaria. Penes enim hominem ſunt acies cogitationum animi, ſed à Iehoua eſt ſermo Linguæ. Qua ſapientiſſimi ſimul & eloquentiſſimi Regis Salomonis gemma hanc quoque Tabulam obſigno. Valete. Dabam

DANTISCI *ex Muſeo meo*
Pridie Nonas Aprileſ,
anni à Nato Saluatore 1605.

***

Bartholomæus Keckermannus *S.*
Th. L. Philoſophiæ in Gymnaſio
Patrio Profeſſor.

DESI-

INDEX CAPITVM QVAE IN GYMNASIO Logico continentur.

LIBER PRIMVS

Tria Præcognita continet, quæ in tria capita possunt subdiuidi.

CAP.		PAG.
I	De Necessitate Vsus Logici.	1
II	De modo & via exercendi praxin Logicam.	9
III	De vsus Logici Periodis & conuersionibus.	16

LIBER SECVNDVS De Tractatione.

CAP.		PAG.
I	In quo partitio Exercitationis Logicæ in Vniuersalem & Particularem.	44
II	In quo Partitio exercitationis Logicæ Vniuersalis in Tractationem & Recognitionem.	51
III	De Tractatione simplici.	57
IIII	De tractatione thematis accidentalis.	72
V	De tractatione thematis simplicis imperfecti.	95

VI

VI De tractatione thematis coniuncti per secundam Logicæ partem. 121
VII De disputatione solitaria, siue de tractatione problematis. 124
VIII De disputatione sociali. 146
IX De genesi methodica. 156
X De ratione bene docendi. 169
XI De textuali genere docendi. 176
XII De ratione bene discendi. 178
XIII De Imitatione. 212

LIBER TERTIVS
De recognitione Tractatorum.

CAP. PAG.
I De Analysi thematis simplicis. 214
II De Analysi thematis coniuncti per secundam Logicæ partem. 235
III De Analysi Syllogistica & Methodica. 239
IV De Analysi combinata. 247

DESIGNATIO COLLEGII ORATORII, INSTITVTI
pro Eloquentiæ Studiosis in Gymnasio Dantiscano.




Partitio. Est enim omne exercitium oratorium siue Rhetoricum Orationis
Formatio, quæ fit mente, scripto, voce; & est, vel
Coniunctio, quod etiam tractatur vel ad
Affectum eumq; vel
Primum, vt est
Specie, de
Prospero aduentu.
Nuptijs auspicatis.
Nata prole.
Feliciter confecto negotio & obita legatione.
Fauore magnorum virorum.
Opibus acquisitis.
Dolor; quò pertinet Motus Pœnitentiæ.
Ortum à primo: & est vel
Amoris, desiderij, prosecutionis
Certæ, estq; adhortatio ad
Virtutes varias.
Certum consilium & factum.
Dubiæ, nempe deliberatio an aliquid sit amplectendum vel fugiendum, cuius exercitium duplex futurum est, nempe
Solitarium, vbi vnica tantum persona de themate aliquo deliberatoriam orationem instituit.
Sociatum, vbi plures deliberant sententijs inter se collatis; ad cuius exercitij solemnitatem Persona & oratio requiritur
1. Regis, vel Principis, vel Consulis, qui certam thesin deliberandam proponit.
2. Consiliariorum, quorũ quidam vota dant
Absoluta, quibus simpliciter
Suadent.
Dissuadẽt.
Media, id est, talia, quæ non simpliciter negant aut affirmant, sed medium tenendum esse consulunt.
3. Concludentis & Determinantis.
Benignitatis, quò pertinet Petitio pro
Nobis.
Alijs.
Misericordiæ, quò pertinet
Lamentatio pro
Nobis.
Alijs, quæ & Intercessio dicitur.
Deprecatio.
Mixtæ cum dolore.
Letitiæ & spei, quò pertinet Consolatio, eaq; vel in
Genere, ob amissum aliquod bonum.
Specie, in obitu eorum qui fuerunt chari.
Odij in
Rem; vbi dehortatio à certo
Vitio.
Facto.
Personam, idq; vel
Extra iudicium, quæ in genere concitatio iræ & inuectiua dicitur.
In iudicio, & dicitur Accusatio, cuius Exercitium etiam duplex futurũ est, nempe vel
Solitarium, vbi vnica tantum persona Accusatoriam Orationem & Inuectiuam recitat.
Sociatum, vbi solenne iudicium instituitur, ita vt peroret persona
1. Accusatoris.
2. Rei aut adnocati, qui Reo datur.
3. Testium.
4. Assessorum in iudicio.
5. Iudicis, qui sententiam definitiuam pronunciat.
Metus, quò pertinet Comminatio in
Genere, cuiusquemali.
Specie, pœnæ
Corporalis.
Æternæ.
In Collegio etiam Oratorio spectetur exercitio-